



NAZIONALE
BIBLIOTECA
B. Prov.
XI
319
VITT EM. III
NAPOLI

BIBLIOTECA PROVINCIALE



Armadio XXII
Palchetto D
Num.° d' ordine 85 D-28

136
1
44

XI
319

Digitized by Google

TOMI PRIMI

PARS ALTERA.



Ex lib.

[redacted]

643823

M A


ACHARA. Urbs vetus a Fazello eò loci ſita, ubi ad Pachynum promontorium proſtratæ urbis cadaver adhuc hodie cernitur. Ejus ſunt verba: *Vindicari portui ad occidentem, & in ea, quam Ruvecti ſalina facit, peninſula, Machara urbs, Cic. in Verrem, Ptole. lib. 3. Plinio, miris lacerata cadaveribus ad jactum fundæ imminet, a Neetinis, & villicis ejus agri accolis & ſenioribus civitas Macharis incorrupto adhuc ejus nomine, ſed vulgo Citatella appellata*. Verum enim vero alibi miras haſce vetereſque ruinas Ichanæ eſſe oſtendi, *Machara*, ſive *Imachara* Ennæ, Agyrio, Aſſoro ad oppoſitam Vallis hujus plagam ſitis opidis contermina, cum Ptolemæo, & Cicerone locanda. Vide *Ichana* & *Imachara*.

MACRA. Ortelio, & Mirabellæ, qui ex Plutarcho *Macram* extitiſſe olim putarunt; in Dionis enim vita ejus eſt mentio. Sed Palmerius in Exercit. ad Poetas Græcos, & Bonannus in Syrac. Illuſtr. *Macras* pro Acras irrepſiſſe apud Plutarchum optime affirmant.

MACROPOLIS. Ita appellatum Euryalum Caſtellum apud Syracuſas tradit Hofmannus, qui Stephanum de Urbibus citat. Apud Ortelium, uti dixi *Macra* & *Macropolis* Siciliæ opidum habetur.

MACTILA. Caſale in agro Syracuſano, quod Adelaſia Rogerii Comitis neptis dedit cum S. Luciæ Eccleſia Cephalæditano Epiſcopo anno MCXL. Ejus erat ſitus, ubi hodie rus *Taracatis*; alii ad *Muctavam* ſtatuunt.

MACTORIUM. Vetus Opidum circa Geleſem agrum. Stephanus Epitomator: *Mactorium Siciliæ urbs, te-*



ße Philisto lib. 1. quam .... condidit. Deest conditoris nomen, neque ex Philisto intelligi potest, cujus historia periit. Meminit *Mactorii* Herodotus lib. 7. & situm indicat: *Gelensium quidem*, inquiens, *per seditionem pulsi in Mactorium opidum, quod supra Gelam situm est, profugerunt*. Hinc Aretius: *Supra Gelam Mactorium urbem constituit Herodotus, hodie Mazarinum*. Confundit Ptolemæi Macharinam, & agrum Macharensem Ciceroni memoratum cum *Mactorio*, sed perperam. Fazellus dec. 1. lib. 10. De Butera cogitat, ubi priscorum temporum ruinæ, cujus verba alibi exscripsi. Cluverius denique: *Apud Terramnovam*, ait, *extare veteris Gelæ reliquias supra docui. Ruinæ igitur istæ apud Buterium opidum ab antiqui Mactorii situ minime abhorrent*. Sed enim Hyblam Minorem, cum aliis, ibi olim stetisse, supra ostendi. Mazarinum veteris structuræ est aliunde; quamvis haud procul, & per Geloum agrum, ipso Fazello etiam teste, plura habeantur antiquæ habitationis vestigia, ut inde de *Mactorii* situ nihil certi statui posse, putaverim.

MACUBA ab Aretio & Fazello unus ex quinque fontibus Symæthi vocatur; sed Erycis, seu S. Pauli amnis, juxta ea, quæ superius statui, melius dixissent. Vide *Eryce Fl.* Aretius *Mucuba* habet.

MACYRUM enumerat Ptolemæus inter mediterranea Siciliæ opida. *Macharam* appellant fundum prope Pachynum, ubi jacentis opidi vestigia. *Machera* in agro Netino, *Renda*, *Revettum*, & alia Feuda Mainitto de Scortino dicuntur in Martini Regis censu obnoxia. An id fuerit *Macyrum* non affirmo. Enumerati enim funda prope oram. Ichanam aliundo ad Macharæ rudera statui.

MADINA. Diodorus lib. 16. Dionis iter ab Heraclea, seu Minoa Syracusas describens. *In transitu*, ait, *Agri-*

Agrigentinos & Gelenses, nonnullosque de Sicanis, & Siculis mediterranea incolentibus; Camarinenses insuper, & Madinæos ad liberandum communi ope Syracusanos adhortatus, sibi adjunxit. Nulli ex veteribus memoratum esse opidum *Madina*, unde *Madinæi*, advertit Cluverius. Quia porro Camarinenses Dionem assumpsisse socios ad debellandum Dionysium Diodorus testatur, qui in vulgatis ejus exemplaribus leguntur *Madinæi*, nulli alii fuisse creduntur quam Motycenses, ex Motyca, seu Mutyca. De qua inferius.

* MAGAEA. Fons in agro Syracusano. Aretius: *Tres fontes in agro Syracusano Plinius commemorat, Temenitem, Archidemissam, & Margeam, quorum cum recentioribus non faciunt nomina.* Cluverius tamen descripto Dasconis sinu & Herculis templo Plutarcho in Niciæ vita memorato, subdit: *Hujus fani ruinis superstructa postmodum est ædes Divæ Mariæ Magdalenæ. Haud procul est fons vulgo dictus: Fons Magdalenæ. Is Siculis hoc ævo scriptoribus putatur esse Plinii Fons Magæa.* Plinii verba alibi exscripsi, ubi de Archidemia, Aretio Archidemissa, uti est *Margea* pro *Magæa*.

MAGDALENA. Ager hodie in portu Syracusano eoque in sinu, quem Dasconem appellavit Thucydides; olim casale, de quo Alexander III. Rom. Pont. in suo diplomate, uti inferius. Ibi hodie Ecclesia ejusdem S. Magdalenæ titulo, Friderici Campixani viri omnium virtutum genere clarissimi pretiosa morte dudum illustrata; cujus meminit Pirrus. Vide *S. Maria Magdalena & Insula.*

MAGDALINUS. Vicus olim a Leontinis haud procul, Christifidelibus, Valeriani & Gallieni Rom. Imper. tempore, frequentatus, cujus in Actis S. Epiphanæ fit mentio apud Cajetanum *Vitæ SS. Sicul.* Illum porro

ho-

hodie credunt esse, qui a S. Lucia appellatur; traduntque S. Epiphanam ibi natam. Nomen vero subinde a crypta & æde S. Luciæ sortitum, quod hæc Virgo Syracusana Catanam ad S. Agathæ sepulchrum cum matre Eutychia properans, eò diverterit. Cryptæ parietes Græci operis picturæ exornant vetustissimæ. Eadem Abbatiæ titulo insignitur, ad nobilem Catanæ gentem de Amico spectans.

MAGELLA. Perantiquum Opidum cujus est apud Livium lib. 26. mentio: *Ad eos*, scilicet ad Pœnos, *Murgantinæ desciverunt terræ; sequutæ defectionem illarum Hybla & Magella sunt, & ignobiliores quædam aliæ*. Fazello videtur esse id castrum, *quod inter Menas, & Calatajeronum urbes, vulgari nunc Siculis vocabulo dicitur Mongelinum*, inquit Cluverius, qui ex situ Hyblæ & Murgantiæ, quibus in defectione ab Romanis sese adjunxit, alibi *Magellam* statuit; ad Rosmanum scilicet inter Ennam & Aydonum. De eo enim Fazellus lib. 10. tradit dirutæ urbis arcisque monumenta adhuc servare. At enim, uti de Hyblæ Majoris & Murgantiæ situ incerti adhuc sumus, ita & de Magella. Negat Cluverius hanc esse locandam ad Mongelinum, quia intercedebant Leontini, Menenini, atque Ennenses præclaræ tunc civitates; num vero inter Rosmanum, Hyblam, & Murgantiam, haud procul Symæthi ostio, ubi hæc ab eodem Cluverio stetisse creditur; non æquè aliæ intercedebant? Pari itaque ratione Rosmani locus *Magellæ* minime congrueret.

MAGNISIS. Peninsula in sinu Megarensi, hodie Augustæ portu. Vide *Tapsus*.

MAGNISIS. Amnis aliter *Cacyparis*, & vulgi voce *Cassibilis*, de quo actum.

MAGNUS. Fluvius *Symæthus* & *Jarretta*. Id sibi vo-

vocabulum vindicat, uti alibi dixi, quod ejus sint longe ab ostio fontes, ideoque cursus longissimus; aquæ etiam uberrimæ & alveus profundus lateque patens.

MAGNUS. Fluvius Anapus, dum *Ferulæ*, *Cassari*, *Buxemii*, aliorumque vicinorum opidorum agros abluit, *Magni* fert nomen; alios enim vicinos facile superat.

MAGRENTINUM. Casale ad sacram Joannitarum militiam spectans. Ejus est in diplomate Friderici Siciliæ Regis & Imperat. de anno MCCIX. memoria, ubi bona Hospitali S. Joannis Jerosolymitani addicta recenset. *Bona in tenimento Syracusæ: Casale, quod dicitur Magrentinum, cum terra circumstante, sicut Gualterius de Caltagirone eidem domui militiæ Templi libere contulit & concessit.*

MALTANE. Casale, ejusdem Domus, uti in allata Cæsaris Bulla: *In tenimentis Buteræ Casalia duo, Maltanes, & Arnadenes, prout in privilegio Comitis de Ocria Buteræ fidelis nostri, per eum dictæ domui Templi super hoc facto, plenius continetur.*

MAMFRIA. Turris specula in rupe excelsa ardui, & difficilis ascensus, ad oram maritimam, inter Naufrii amnis ostia, & Terramnovam opidum posita. Fazello *Namfria*.

MANGONUS. Collis prope Platiam, ad cujus radices *Sarracenorum* olim *Casale*.

MANUMUZZA. Hodie *Maroglius*, *Vagedrusa* apud veteres; hinc Silius lib. 14. populos enumerans, qui Marcello Consuli suppetias tulerunt, Syracusas obsidentiillos recenset: *Qui fontes Vagedrusæ* colebant. Quumque hi fontes sub Calatajerone ad occasum emergant, sumunt inde Pacius, & Aprilis non infirmum argumentum de ejusdem urbis antiqua fundatione. Pacius *Vadgerusa*

le-

legitimum fluminis nomen esse contendit, & varias ideirco etymologias adducit; suas Bochartus profert, quas discutere non vacat. Auctus itaque Manumuzza post originem aliis aquis, inter Dirillum, & Terramnovam in Siculi Africani maris littore os sibi aperit. Fons porro triplex est illi, alter sub Ecclesia S. Mariæ de Miraculis; secundus vero supra Eremitarum domum, cui a S. Maria de Refugio nomen in agro Pillæ; tertiusque in agro S. Agathæ, pass.circiter M. a præfata Calatajeronis civitate. Abluit fundos Rahalginesim, & Scalam, quorum excipit aquas, ac Boggiodianum, relictisque ejusdem Calatajeronis finibus per Nixemis opidi terras diffunditur. Hinc limosus, turbidusque pelago absorbetur.

MARCELLINUS Amnis. Aretius: *Fluvium in Syracusarum passu, ostium vero Marcellinum vocant, qui a fonte Lafavara inter Sortinum, & Leontinum ortus, haud multum peragrans in Megaræ portum diffunditur*. Hunc illum esse existimat Fazellus, quem Livius *Milliam* vocat; eum quippe inter Syracusas & Leontinos ponit. Fazello accinunt Bonfilius & Vita, qui Marcellinum Livii Milliam, seu Mylam esse affirmant. Aretius tamen, Leander & Cluverius Yhadedæ seu S. Juliano id nomen appingunt; æquè enim Marcellinus, & Yhadeda inter Megaram & Leontinos excurrunt. De fontibus & cursu etiam idem Fazellus habet: *Oritur supra Sortinum, opidum ad occidentem pass.* M. III. *e fonte insigni, cui Favara est nomen; & decurrens, ante quam Passus Syracusarum a trajectu ejus urbis nomen accipiat, Curcuracium a Friderico Rege III., quod ad Claromontanos defecisset, deletum opidum præterlabitur.* Distat ostium Marcellini ab illo S. Juliani pass. M. II. Alveus lapidosus, & hyberno tempore, tranari, ob eosdem lapides, quos excrescentes aquæ occultant, difficilis.

MAR-

Digitized by Google

MARCHETTUM. Arx apud Syracusas, quam Aretius memorat. *In faucibus portus, ubi nunc Castrum Market est, Arx erat tyrannorum, Hieronisque Regis domus, qua Prætores postea uti solebant, thesauro plena, ac, ut Plutarchus ait, armorum copia ita munita, ut hominum* LXX. *millia illis armarentur. Ibi mea ætate & pons lapideus, quo insula ipsa adjungebatur, & obrutum, propter temporum injuriam, ac urbium eversionem, arcis inventum est ædificium, multæque statuæ & caput e marmore, his literis inscriptum* Extinctori Tyrannicæ. *Hanc arcem, quia Tyrannorum receptaculum, a Timoleonte Corynthio deletam, quis restituisset, [Prætores enim, ut a Cicerone probatur, dein uti solebant,] mihi haud compertum quidem. Fuit iterum ab Romanis eversa, & in ruinis castrum Market erectum*. Describit quoque eamdem arcem Fazellus concluditque: *Super ea demum ab incerto nobis authore eversa castrum, cui Maryhecto est nomen, a Sarracenis, uti ex forma, & nomine colligere licet, erectum est, quod & hactenus durat*. At quum novis ædificiis & munitionibus, ad eam oram insula instrueretur, sæculo XVI. in ruinam abiit. Bonannus Aretii nomen retinet, & *Marchettum* appellat.

S. MARIA DE ARCU. Monasterium Cisterciensis Ordinis in agro Netino. Vide *Arcus*.

S. MARIA DE FUNDRO'. Monasterium sub S. Benedicti institutis: Vide *Condronum*.

S. MARIA MAGDALENA. Casale. Vide *Magdalena*.

S. MARIA DE NISCEMI. Opidum. Vide *Niscemis*, seu *Nixima*.

S. MARIA DE ROCCADIA. Monasterium ad Cistercienses spectans. Vide *Roccadia*.

S. MARIA DE TERRANA, ejusdem Ordinis Ab-

batia. De ea nonnulla recensui Calatajeronis sacras ædes enumerans. Reliqua consule inferius suo loco.

MARIELLA. Salina est ad Pachyni radices, in qua æstuante sole, aquæ ex imbribus congregatæ in sal concrescunt.

MARINEUM. Casale in agro Bidinensi sub Friderico II. juris erat *Petri de Formica* Militis. Martini Primi ætate ad *Calcerandum de Santopace* cum Lycodia spectabat; estque hodie fundus, ejusdem opidi ditioni subjectus.

MAROGLIUS. Fluvius. Vide *Manumuzza*. Erravit hinc Fazellus, Terrænovæ aquis id vocabulum appingens, easque *Marogli* appellans, quem Massa, & Scutterus in tabula sequuntur. Gelam quippe, seu Terrænovæ fluvium vulgus *Disutterim* agnominat; & *Manumuzzam*, veterum Vagedrusam, *Maroglium* dicit.

MARSA MURRA. Fundus dicitur in Regesto sepius memorato Friderici Regis, ad *Curiam* spectans; sed in Martini censu Salinæ nomine venit, Bernardo de Caprera obnoxia. Fazellus ingentem sinum *Marza* appellatum, idest Portum, & *Murram* stagnum, quod in sal totum æstate convertitur, memorat. De quibus mox.

MARSA. Post Pachynum promontorium occasum versus sinus majorum navium capax aperitur, cujus occiduum caput vulgo *Punta Marsæ* dicitur. Nomen est Punicum, Portum, uti innui, significans, Veteribus Odyssææ, & Ciceroni Edissæ. Cluverius hinc lib. 1. cap. 14. *Ptolemæo ultimus locus in meridionali insulæ latere, proximusque Pachyno promontorio, memoratur Odysseum promontorium, sive, Latinè si loqui malis, Ulysseum promontorium, quod idem esse deprehenditur, quod hodie vulgari vocabulo dicitur Capo di Marza, & item Capo di Castelluccio; namque hoc ultimum est, quod in meridiem*

ver-

vergit; *Pachyno hinc jam ad ortum spectante*. Huic Ulyssis promontorio sinus ab oriente adjacet, navium capacissimus, communique promontorii cognomine *Marsa*, & *Castellucii* nuncupatus. Cluverius sinum ad occidentem promontorio adjacere, memoriæ lapsu scribit; prosequiturque insignis urbis disjectæ monumenta ex Fazello enarrare, de quibus dixi de *Castellucio* loquens; concludit denique: *Ego hunc eumdem locum esse judicaverim, qui Ciceroni in Verrem lib. 5. corruptè Edissæ portus vocatur; quum fuerit Græcis incolis Odysseæ portus dictus*. Vide *Castellucium*, & *Edissa*.

MARSAMEMUS. Sarracenici nominis statio, IV. pass. M. a portu Vindicaris in orientali Pachynensis oræ latere, ubi & duæ ejusdem appellationis sunt insulæ. Supra hanc, parvo interstitio, ad occidentem diruti opiduli videntur reliquiæ. Nicolosius in sua Geographia Naustathmum Plinii portum inter Syracusas & Helori fluminis ostium ad *Marsamemum* statuit. At enim Helorus longe ante *Marsamemum* mari affunditur; perperam hinc Naustathmus ibi designatur. Cluverius Pachyni portum, de quo Tullius in Verrem lib. 5. hunc locum esse judicavit: *Nostra autem classis erat in portu Pachyni*, ait ille; & Fazelli idcirco opinionem falsam arguit, qui ad Langobardum constituit. *Iste vero*, inquiens, *Langobardus portus longe importuosior est, quam quem classis adversus piratas emissa subire debuerit*. Si porro Marsamemus Pachyni portus fuerit, eò S. Hilarionem appulisse affirmandum. Vide *Langobardus*. Est ejusdem nominis turris ad stationis custodiam, & celebris Cetaria.

MARSARELLA. Statio in ora meridionali, vulgo *Mazzarellis*. De ea Fazellus: Hirminij fluminis ostium *Mazzarellis ad M. pass. parva sequitur statio, & ad M. & D. passus moles quædam, & rupes extant rubræ. Qui lo-*

Digitized by Google

cus, an is sit, quem Bucram extremum vocat Ptolemaus, incompertum est. In notis ego ad hanc Fazelli conjecturam, Bucram extremum, ideſt Promontorium, inter Caucana portum, & Hipparis oſtium Ptolemæo ſtatutam affirmo. Hinc alibi, ad Raſacaramim, ſive Scaramim Bucra locanda ex Cluverio, & aliis. Surgit ibi Turris cognominis, ad oræ illius contra piratas tutamen.

MARSA OLIVERIS. Vide *Plemmyrium* Syracuſani portus promontorium ad æſtivum ortum ſe flectens.

MAULIS. Amnis Aretio *Limagunis*, antiquis *Himinius*; hodie a *Ragusa* appellatus.

MAURONEUM. De quo in Urbani II. literis fit mentio. Fines enim Diœceſis Syracuſanæ deſcribens Pontifex habet: *Indeque tendens ad Mauroneum aſcendit ad flumen de Calthaelphar*. Ex hiſce verbis alibi deduxi *Mauroneum* idem eſſe, & Meneum.

MAYNUCUS. Parva Statio poſt Alpuſalli, ſeu *Pozzalli* arcem in ora auſtrali ad paſſ. M. II.

MAZARINUM. Opidum, a pleriſque Ptolemæi Macharina, uti in quibuſdam habetur exemplaribus, ab aliis vero Mactorium urbs credita, cujus opidani Mactorini; in Mazarini quippe agro non levia antiquæ habitationis monumenta occurrunt, & ab Gela haud procul poſitum opidum, in cujus finibus Mactorium, quod paullo ſupra indicatum. Aretius: *Supra Gelam Mactorium, quam & Ptolemaus Macharinam appellat, urbem conſtituit Herodotus. Cicero Macharenſem agrum dixit, hodie Mazarinum*. Vetuſtum hinc, & nobile appellat Pirrus; & ſi recens omnino velit Fazellus; quin aſſerentes Mactorium fuiſſe, in ſole planè caligare, parum congrue ſcribat. Collem occupat conſcenſu non ſatis arduo ſubvectum, cujus verticem planities parumper ad auſtrum prona extendit, cunctis cœli regionibus patens; hyemis id-

idcirco tempore rigida, æstate solaribus radiis obnoxia, sed noctibus temperatis, aquarum denique indiga. Arx ruinis plena toti opido ad aquilonem dominatur. Dynastæ ædes conspicuæ & amplissimæ urbe metropoli dignæ, quas Josephus Brancifortius elapsi sæculi pene medio in meliorem formam redegit, & Carolus Caraffa Buteræ Princeps, earumdem diu incola, elegantissima aula festis theatralibus addicta, aliisque ornamentis, & typographica etiam officina cultiores reddidit, forum exornant. Ibi pro civili consilio basilica; juri dicundo, publicisque negotiis deputatæ ædes, nec splendida desideratur Ecclesia. Foro recta & spatiosa respondet via, opidum fere medium secans, quam opidanorum privati lares decentissimè constructi distinguunt. Suburbium non infrequens ad occidentem sedet, ita appellatum, quia ab reliquis partibus parum dissitum, nullum quippe habet opidum pomœrium, nec portas, sed latissime quaquaversum extenditur.

Princeps templum olim sub arce, S. Agathæ sacrum memorant; cui circa forum aliud, S. Mariæ ad Nives titulo, humile successit; sed novum hodie contra palatium cives moliuntur spectatissimum, & S. Luciæ V. M. nomini dicatum, cujus honori, jam inde ab ævo Rochi Pirri ædes surgebat, ubi sacramentis administrandis opera navabatur, sub Parochi potestate, sedem in S. Mariæ habentis; quæ unica est Paræcia. Ultra hanc S. Luciæ, tresdecim aliæ filiales, uti appellant, majori etiam suffragantur; sed præ cæteris sacræ Regularium domus VII. in conspectu ponuntur. Societatis Jesu Collegium ab anno MDCXC. Carolo Caraffa de necessariis redditibus largiter prospiciente, fundatum, cujus Ecclesia nitido cultu superbit a palatio haud procul. Sanctimonialium Cœnobium in foro, quod Aloysio Moncada Josephi Comitis

Digitized by Google

tis uxor propriis fortunis ædificatum, S.Benedicti regulæ addixit post sæculi XVII. medium. Vivunt illæ arctissimis legibus, albasque, & ceruleas vestes, velem, & cucullum jantinum indutæ, coluntque tutelarem Deiparæ Matrem S. Annam, cujus festus dies publicis nundinis est destinatus. Dominicanis fratribus S. Mariæ de Succursu Ecclesiam, adnexumque ædificavit asceterium anno MCCCCLXXX. Antonius Alagambe nobilis Mazarinensis. In S. Mariæ de Carmelo vetustissimo, & insigni templo, cui laxior area respondet, habent Dynastæ sacellum majus, S. Stephano dicatum, elegantissimis picturis, & marmorum varietate comptum, pro sepulturæ loco; lapideos hinc sarcophagos elegantissimos illud ostentat Fabricii, Joannis, Caroli. Ædem S. Hippolyti Minores Observantes anno MDLXXIII. tenuerunt in suburbio; sed illorum loco Reformatos itidem Minores Fratres, claustris visu dignissimis instauratis, in eam sæpius laudatus Princeps Caraffa induxit. Capuccinorum denique nobile extra opidum ad III. lapidem circa meridiem in humiliori loco, quod antiquum sane Pirrus evulgat; in Ordinis enim annalibus fundationis annus MDLXXIV. designatur, spatiosum est Monasterium. Meminit idem Pirrus Monialium S. Luciæ Benedictini instituti in ejusdem Virginis templo, quas defecisse tradit. Anno MDXXX. Commendam S. Joannis Jerosolymitani F.Petrus Gusmanus ejusdem Ordinis Mazarinensis congrua dote assignata excitavit, & Messanensi Prioratui addixit. Extat ad S. Agathæ vetustam Ecclesiam sub castro Eremitarum domus. Prosequuntur opidani insigni cultu Christi Domini e Cruce pendentis simulacrum, cui solemne festum Kalendis Majis celebrant, & sese illi veluti præcipuo Patrono addictos gloriantur. Subsunt, quo ad internum forum Episcopo Syracusano, ejusque

Vi-

Vicario; quo ad militiam provincialem Calatajeronensi Præfecto, cui æquites VII. pedites XXXIV. suppeditat, & Platiensi Comarchiæ. Eorum Magistratus civilis, uti in aliis opidis reipublicæ curam gerit, cujus electio penes dynastas, vitæ & necis caussas cognoscendi jus habentes. Stemma est Dominis cum opido commune: Leo truncis brachiis vexillum præferens. Comitatus prærogativa ab anno MDVII. insignitum, in publico Regni consilio proferendi loco IX. suffragium jus illis tribuit, quorum hic ordo, & successio.

Manfredus, Simonis Policastri Comitis filius, Henrici Marchionis nepos, primus *Mazarini* dominus occurrit; suo enim diplomate anno MCXLIII. signato, opidi jura Syracusano Episcopo concedit; mox aliis literis de anno MCLIV. S. Mariæ Ecclesiam se ibi extruxisse profitetur, eique agrum de Pirato attribuit. Ejus uxor Beatrix dicebatur, Odonis de Arcadio filia, ex qua hæredes tulit, quos in postrema charta memorat, sed reticit nomina. De uxore Bartholomæi de Luce *Desiderata*, & eorum filia *Margarita* Vvillelmo Malconvenant nupta, alibi meas conjecturas expendi. *Simonem* cætero Comitem, Manfredi Patrem *Mazarinum* tenuisse, & si compertum non habeam, non inficior. *Manfredus* Mongelini dominus *Mazarinum* sub Aragonensibus possedit. *Joannes Mazarinus* Manfredi filius, ex opido, cui dominabatur, appellatus, ab Jacobo Rege desciens bonis privatur; atque in mari præceps actus occiditur, una cum Gualterio de Calatajerone. Hinc ejusdem principis beneficio anno MCCLXXXVIII. *Vitalis de Villanova* Messanensis in *Mazarini* possessionem ivit. Fratres habuit Joannem, & Pontium, genuitque ex Anna Artisinæ, & Rahaljoannis domini filia *Calcerandum*, desiitque mortalis esse anno MCCCIV. *Calcerandus* Friderici II. Regis

fa-

Digitized by Google

familiaris effulfit, ductaque in uxorem Riccarda Palmeria, Blancam, & *Gratianam* filias fufcepit. Hanc vero primæ fuperftitem *Raphaeli Brancifortio* copulavit, dotifque nomine opidi fui dimidium defignans a Stephano Brancifortio Raphaelis patre pretium pro reliquo dimidio fibi folutum profeffus eft. In cenfu hinc fub eodem Friderico *Raphael*, uti *Mazarini*, & Gibillenæ dominus Regi obnoxius dicitur. Ex eo *Fridericus* hujus nominis primus, unde *Nicolaum* ortum recenfent gentilitiæ Genealogiæ tabulæ, & in *Capibrevio* Barberius, qui illi uxorem fuiffe Jacobam memoriæ prodit. Verum Michael de Platia fynchronus fcriptor *Joannem* fub Ludovico Rege conftituit *Mazarini* Baronem, qui neque erroris, neque ofcitantiæ argui a quoquam poteft, civis enim fui optimè nomen callebat. Hinc Jacoba Joannis uxor, ex quibus Nicolaus, ex Nicolao Fridericus anno MCCCCII. poft patris mortem inauguratus, de quo infra. *Joanni* fratres fuere Rogerius, aliique. Hic Ludovico adhæfit, *Joannes* cum reliquis fratribus, Claramontanas partes fecutus Aloyfii Neapolitani Regis fefe addixerat famulatui, fuorumque Platienfium defcitioni favebat. Hinc a Rollando Aragonio in conflictu circa Calatajeronis fines fugatus, captivus inde apud Ennam detentus diu fuit. Furcam ibi fubiiffe cum fociis perperam Fazellus evulgat; uti enim in noftris ad eumdem Animadverfionibus fcriptum: Rogerii fratris precibus veniam *Joanni* Ludovicus benigniffimè indulfit. Egit ille apud fuos Platiam adhuc occupantes, atque nedum Principi fuo conciliavit; fed ut priftinis paternis bonis donaretur, obtinuit. *Joannes* fubinde fidem fuam apud eumdem Regem probavit, Platiæque præfectus, copias Regias in Meffanenfi oppugnatione rexit, uti loco citato. Ex Joanne *Nicolaus*, qui patriæ etiam præfectura donatus, fub Mar-

tino

Digitized by Google

tino Rege optime meruit, suosque Platienses ab eo descientes ad fidem pristinam traduxit. Hinc arcem Grassuliati, agrosque adnexos amplissimo rescripto sub annum MCCCXCIII. ab eodem Rege impetravit, eique deinceps charissimus evasit. Ex binis uxoribus Joanna Spatafora, & Joanna Lancea *Fridericum*, Thomam, & septem alios suscepit, exuitque mortalitatem MCCCCI.. Friderico in *Mazarini*, Thoma in Grassuliati possessione relictis. Uterque hinc in censu de anno MCCCCVIII. sub Martino inter Barones venit. Conjuges habuit Fridericus Margaritam Modicam, & Mariam, cum quibus *Nicolaum*, & filias quinque procreavit, assecutusque fratris Thomæ, sine prole decedentis, Grassuliati dynastiam ejusdem sæculi XXVIII. anno fatis concessit. Fulsit *Nicolaus* II. Regi a consiliis, ductaque in uxorem Mansueta Joenia *Joannem* ex ea tulit, obiitque MCCCCLII. Hic paternis fortunis Melillis dominatum aliquando adjecit; genuitque cum Beatrice N. uti habent Geanologiæ Tabulæ *Nicolaum Melchiorem*, Guilelmum, & Elisabetham, quam nuptui tradidit Antonio Abbatelli Cameratæ Comiti. *Nicolaus Melchior* Ferdinando Rege annuente Comitatus insignia anno MDVII. assumpsit, copulavitque sibi Belladamam Alagonam ex Palatioli dominis, quæ a matre Elisabetha Tabarum, vulgo Tavis, amplissimis agris, ubi hodie Leonfortis exurgit opidum, donatur. Relictis quidem *Joanne* II. Antonio, Blasco, aliisque filiis commune solvit Nicolaus tributum anno MDX. Illi vero hoc pacto paternas dynastias sunt assecuti. *Joannes* primo loco natus *Mazarini*, & Grassuliati hæres remansit; Antonius Messanæ Strategus Melillim accepit; emitque sibi quoque Mirthi dominatum anno MDLV. obiitque novennio post. Blascus

Digitized by Google

denique tertius genitus, matris testamento Tavis feudum sui juris fecit. Hic Regni Vicarius & Messanæ etiam Strategus Cameratam ex dote habuit, uti alibi recolam. Jam ex *Joanne* II. & Æmilia Moncada Adrani Comitis filia *Artalis*, & septem alii profluxere. *Artalis* cum Clara Tagliavia Castriveterani ducibus orta *Joannem* III. tulit, qui cum Dorothea Barresia Petræpretiæ hærede *Fabricium* genuit, in quo uno complures coaluisse comarchias alibi vidimus. Per id temporis Petrus Rivalora *Mazarini* opidum variis alienis obnoxium pecuniis sibi anno MDLXXXI. vindicaverat; quod mox insequenti *Fabritio* restituitur. Ex hoc Franciscus & Joannes, qui ante patrem diem obiere. Ex Francisco Joanna Austriaca; Joanni *Joseph* successit, qui cum eadem Margarita conventione inita, *Mazarini*, & Grassuliati dominium nactus, novo Nixemi oppidulo extructo, ejusdem Princeps est appellatus. Eo decedente Carolus Caraffa sororis filius obtinuit, qui *Mazarini* sedem fixit, opidum ædificiis sacris, profanisque nobilitavit; hinc complura egregii ejus ingenii opera typis *Mazarinensibus* excusa habemus. Illum soror Julia Caraffa excepit, post quam *Nicolaus Placidus* Brancifortius, de quibus latè dixi, ubi de Buteræ Principibus.

Mazarinum opidum est hodie frequentissimum, ac pingue; laribus enim 940. Caroli Cæsaris ævo, incolisque circa sæculi XVI. exitum 5131. constabat. Sequentis anno LII. census fuit lar. 1389. civium 5748. Sub Victorio Amedeo lustrati lares 2199. incolæ 8228. novissime 9693. Ager satis amplus ubique runcatur, & seritur, pascuis ditissimus armenta nutrit, vino, oleo, fructibus abundat, mellis præstantissimi copia laudatur, oleribus, aliisque ad vitam necessariis non indi-

indiget, venationum denique delicias præbet. Sulphuris fodina in eo, quod non exigua quantitate eductum, purgatumque lucra colonis offert. In fundo, quod *Supremum Castellucium* appellant, cinericei coloris latex emanat sulphureus, malis cutaneis remedium præsentissimum; sed fons ejusdem agri præ cæteris celebratur, aquas emittens salsas, quarum libra salis partes IV, humoris II. continet. Sal autem eductum ardentissimum est. Longitudinis gradum XXXVIII. *Mazarinum* non attingit, & XXXVII. latitudinis vix excedit. Egregios protulit viros, quos inter memorantur Ægidius Mancuso ordinis S. Francisci de Paula, omnium scientiarum typus, uti Annales Paulenses deprædicant, qui librum de Philos. & Theolog. controversiis Lugduni edidit. Floruit sæculo XVI. ex Pirro. Sed Ægidium Mongitorius in Bibl. Claromontanis accenset. Joseph Artalis Poesis studiis, sed Martis artibus simul addictus. In ejus vita, libris *Encyclopediæ* præfixa Catanensis patria vulgatur, & sese ipse Catanensem jactabat, ideoque civibus meis alibi adnumeravi. Fuit Ernesto Bransuvicensi, Luneburgi Principi a custodia corporis dux, animi fortitudine, & gladiatoria nemini secundus; fuit Eques Constantinianus, obiitque Neapolis anno MDCLXXIX; vulgavit *Encyclopediam* Etruscis varii generis carminibus refertam. Antonius Blundus Societ. Jesu vitæ innocentiâ, & sanctimonia clarus ob edita opuscula a Mongitore inter Scriptores Siculos relatus, tyrones ad plures annos instituit, Deiparæ amantissimus, erga pauperes largus, Dei & cœlitum sæpissima apparitione dignatus, Panormi piissime obdormiit MDCXLIX; laudatur ab Aguilera, & Alberto. Idem Mongitore Bernardum Bussema, ordinis Prædicatorum eximium oratorem, ac Rocchum Sortinum

Digitized by Google

Sacerdotem gravioribus disciplinis imbutum, & a vulgatis ingenii monumentis utrosque commendat.

MAZARUNUS Amnis in agro cognomine, qui ad Netinum S. Salvatoris Monialium cœnobium ex donatione Antonii Caramanna Regii Ærarii Conservatoris spectat, ortum habens, sub Claromonte opido, Dirillum, sive Achatem fluvium auget; quin & ipsi Dirillo per aliquem terræ tractum vocabulum attribuit. Vide *Dirillus*.

MEGARA. Ad Alabi fluminis ostium, Urbs vetus, olim Hybla ab Hyblone Siculorum Rege appellata, ab Jonis, & Doriensibus, quorum magna pars erant ex Megara Græca urbe, aucta est, uti in superioribus dixi de Hybla loquens, ubi *Megaræ* Siculæ authores ex Thucydide, & Strabone retuli, eorumque verba, & aliorum veterum expendi. Ad discrimen autem *Megaræ* in Græcia hæc dicta fuit *Megara* Hyblensis, & opidani *Megarenses* Hyblenses, uti Cluverius lib.2. advertit; quamvis mel, quod in ejus agris præstantissimum legebatur, Hyblæum semper diceretur. De Alabo fluvio, quem Cantaram hodie appellant, alibi dixi, & rursus de Milillis agro agens, illius fontes, cursumque promam, longe diversum, ac Fazellus describit. In ipso autem littore ad jactum teli ab dextera Alabi ripa diruti opidi mœnia ex quadratis, ingentibusque saxis hinc inde disjecta spectantur, ambitus pass. III. circiter M. Errat enim Fazellus idem *Megarense* pomœrium non nisi pass. M. colligere scribens. Intra ea mænia ædificiorum magnæ, ac mirandæ spectantur reliquiæ, nec leve urbis magnificentissimæ vestigium. Quamvis enim Ptolemæus Tab. VII. in mediterraneis *Megaras* posuerit; in ipsa tamen stetisse maris ora liquet, quod sinus amplissimus inter Taurum promontorium

rium, & Tapsum peninsulam, in quem medium Alabus amnis affunditur, *Sinus Megarensis* dictus est, de quo Virgilius Æneid. lib. 3. Hinc Megaris Plinio in ipso refertur littore, & Mela lib. 2. cap. 7. *A Peloro* scribit, *ad Pachynum ora, quæ extenditur, hæc fert illustria: Messanam, Tauromenium, Catanam. Megaridem, Syracusas.* Thucydides apud *Megaram* Athenienses cum viginti navibus unam intercepisse Syracusanorum onerariam, quæ domum navigabat, lib. 6. memorat; Tullius in Verr. lib. 5. *Hæc una navis e classe nostra non capta est, sed inventa ad Megaridem.* Ovidius denique Fast. 4.

Liquerat Ortygiam, Megareaque, Pantagiamque.

Cætero Megarenses Siculos Selinuntis authores sive instauratores fuisse, pulsis inde Phœnicibus, idem Thucydides tradit: *centum, postquam ibi habitare cœperunt, annis Selinuntem, misso illuc Pammilo, condidere.* Brevi quippe adeo potentia creverant. Annis ccxlv. a conditu etiam, & patria, & agro *Megarenses* ab Gelone Syracusanorum Rege pulsi sunt. Agrum idcirco Thucydides ditionis Syracusanæ paullo post Gelonem fuisse affirmat: *Athenienses navigaverunt ad Megara versus, quæ sunt in Sicilia, unde exterminatis a Gelone Tyranno opidanis, Syracusani agrum possidebant.* Herodotus Gelonem magna vi *Megaris* expugnatis, Syracusana Urbe nobiles viros, divitesque donasse testatur, plebem vero sub hasta vendidisse. Quum agro nihilominus fertilissimo uterentur, eosdem Syracusanos opidum instaurasse affirmat. Hieroni hinc II. *Megara* in celebri illa cum Romanis divisione cessit; & Sosium Syracusarum ducem per *Megara* suorum duxisse exercitum, Hieronymo occiso, Livius tradit. Quod

exiguum

exiguum tunc fuerit opidum ex Silii verbis lib. 4. colligimus, quibus ait:

Nec major Megara Motyce.

In Marcum Marcellum Romanum Consulē subinde peccavit, a quo, ad metum cæteris incutiendum, capta, funditusque deleta est, quod idem Livius testatur. Quocirca Tullius lib. citato dicit: *Megara locus est juxta Syracusas*; ubi locum, non opidum, aut castellum vocat. Bello civili inter Augustum, & Pompeii filium exardescente, rursus restituta perhibetur; Pompeii enim experta furorem cum aliis insulæ civitatibus exciditur; Mox Cæsaris munificentia, ubi hodie Augusta sedet, novos habuit colonos. Strabo quidem, qui ejusdem Augusti assecutus est tempora de Naxo & *Megara* habet: *Urbes istæ non existunt amplius, & Hyblæ nomen etiamnum durat ob Hyblæi mellis præstantiam.* Sub Armato nihilominus Siciliæ, Maximiani Cæsaris ævo, Consulari plures SS. Martyres in sacris Siculis Fastis leguntur passi, & in Itinerario Medii ævi Cluverius legit: *Tapsus distat ab opido Megara Castello Syracusanorum Stadia* XI. pas. scilicet MCCCLXXV; quod justum est intervallum hodie inter Tapsum peninsulam, & Alabum amnem. Ex his Aretii lapsum conjicias scribentis: *Megaram Hyblamque unam esse multi dicunt, nobis vero eam esse Megaram, quæ Augusta nuncupatur ab Augusto Cæsare instaurata, magis placet; & Hybla supra ipsam Megaram pluribus authoribus collocatur, nunc Melillis. Megara* Thucydidi, Herodoto, Stelaci, Stephano, Plutarco, Martiano Heracleensi, sive Scimno Chiensi, Straboni, Ptolemæo, Plinio, Melæ & aliis celebratur. Dum suis viveret legibus numos edidit, ubi Palladis galeatæ caput, & noctua eidem sacra exprimuntur; caput item Ammonis caprina cornua supra sinistram autem habentis cum epigrapha

ΜΕΓΑΡΑ. Accenset ejus civibus Fazellus Theognem Poetam, Philosophum, & Historicum, qui olympiade xcix. floruit, scripsitque ad Cyrum Persarum Regem *Gnomologiam*, sententiasque tercentas ad vitæ regimen elegiis complexus est, & alia versibus edidit. Epicarmum comœdiæ inventorem, a nonnullis quidem patria Syracusanum, sed ab Aristotele, Tullio & Cluverio Megarensem appellatum; & Alcinoum Poetam tragicum, quem Suidas, Giraldus, & Cratius Megaræ natum dicunt in Sicilia.

MELICHIE fons apud Syracusas ex Plinio, ejusque in agro erumpens, incerti hodie situs. Verba Plinii alibi de Archidemia etiam fonte scribens retuli.

MELILLIS Opidum in collibus Hyblæis, quorum jugis cingitur, & vetus Hybla idcirco quibusdam credita, Alabi fontibus imminens. Sed enim Stephani Epitomator: *Styella*, ait, *Castellum Megaridis in Sicilia, Gentilitius Styellinus*. Idem alibi: *Una autem Hyblarum Tyella vocatur*. Tyella coruptum esse Cluverius optime advertit pro legitimo *Styella*. Quod id Castellum *Melillis* fuerit, certo certius non affirmo, sed conjecturis agendo, quod supra Megaram, quæ & Hybla, & in ejus collibus situm *Melillis* opidum videtur, veteri Styellæ suffectum non incongrue putaverim. Forte etiam castellum, quod in agro Megarensi Nicias Athenienfis obsessum non expugnavit, eo loci, ubi hodie *Melillis* dudum stetit. Vetustatis siquidem monumenta passim circa idem opidum, ac per vicinia detecta, cryptæ, ubi olim mortales degebant, sepulchra, lateres, vasa, aquæductus, aliaque id genus de illius antiquitate non obscura præbent indicia. A melle Hyblæo satis celebri, de quo dixi, *Melillim* cæterò nomen accepisse Pirrus, & Aretius vulgarunt, quasi

Mel

Mel Hyblæ. A præstantia mellis, inquit ille, not. 3. lib. 3. *nomen recepit, ejus namque ager cannis melliti feracissimus est, quibus Saccarum conficitur nobilissimum; collesque occupat Salictis floribus, quibus apes avidissimè vescuntur, passim abundantes*. Fazellus autem novi nominis opidum esse *Melillim* affirmat; & Carrera a Sarracenis ita appellatum tradit; uti autem hoc non inficior; complura enim ex antiquis vocabulum immutasse Sarracenis agentibus satis constat; ita Fazello morem gerere ex iis mox recitatis facile haud possum. *Melillis* prospectus est terra ac mari jucundissimus; sinum quippe Megarensem, ubi Augustæ portus, & Tapsum peninsulam hodiè *Magnisim*, agrosque fertilissimos, & irriguos, veluti specula sub se tenet; acclivis hinc ad opidum ascensus, & arduus, situsque, ubi illud sedet, ad ortum austrumque pronus patet. Arx olim in suprema ora quadris lapidibus tota compingebatur, adeo inter sese connexis, uti pene integra moles videretur; ampla aliunde, omnique ex parte præruptis insidebat rupibus. Hæc anno MDXLIII, ex terræmotu quassata, primis deinde concussionibus die Januarii IX. alterius terræmotus de anno MDCXCIII. disjecta penitus jacuit, nec nisi superstites ejus spectantur ruinæ; Post primum opidi ingressum ad ortum S. Sebastiani Mar. elegans ac perinsignis statim basilica sese videndam præbet, ubi sacra servantur ad civium pietatem fovendam. Est enim Divus illorum præcipuus tutelaris, cujus festum kalendis Maiis, ingenti pompa, & summa populi ex posita circumquaque regione, atque ex longinquis frequentia, cum nundinis celebratur. Signum ejusdem martyris, ab anno MCCCCXIV. prope littus, ut ferunt, inventum, innumeris prodigiis clarum, multisque idcirco donariis quotidie a confluenti ægrorum co-

pia

pia ornatum, ibi colitur, ipsique opido famam conciliat. Ampla hinc via assurgit, privatis civium ædibus utrinque dispositis, quæ in duas circa medium diffinditur, harumque una ad majorem Ecclesiam decentissimæ structuræ, ac solam paræcialem, S. Nicolao sacram, Archipresbytero commissam, parũque inclinato solo sitam, ducit; Altera autem via reliquas opidi partes superiores complectitur, quæ sub arce extenduntur, & a Turre nova denominantur, cujus extant quoque rudera. Ibi Minorum Fratrum de Observantia, uti ajunt; Cęnobium, qui in S. Mariæ de Jesu extra opidum olim, mox intra ab anno MDXIV. ad S. Antonini Templum migrantes aptas instituto ædes coluere. Sed Carmelitis locus prope princeps templum anno MDCXX. est datus, quorum sub ordinis tutelari B. Virgine Ecclesia, & huic adnexum non vulgare peristylium. Minores denique Capuccini primo lapide dudum ab anno MDCXXVI. situ parum apto usi sunt, hinc post decennium, nobile, & amoenum in superiori regione Monasterium sibi construxerunt. Moniales denium Benedictinæ in Ecclesia, & claustris sub S. Pauli Apost. nomine, decenter degunt, Joannis Horosci Syracusani Pontificis decreto, & Civium munificentia fundatæ, a S. Sebastiani æde haud procul. Per reliquas opidi regiones in v. Ecclesiis Divinus cultus promovetur, & incolarum religioni fit satis.

Cives habuit Melillis ab honestate natalium semper commendatos, quorum præcipui Augustam demigrantes sedes ibi statuerunt; Ejus est Magistratus juxta provinciæ mores, Decuriones IV. Syndicus, & Judices cum Præfecto. Spectat ad Diœcesim, & Syracusanam Comarchiam, & provincialis militiæ Leontino Instructori subiecta, equites v. peditesque LX. suppeditabat.

Digitized by Google

Ejus fuit census sæculo xvi. larium 706. incolarum 4361. Sequenti juxta Pirrum lares 1376. cives 4983. numerabat, ex Regiis verò libris lar. 1404. incolas 5451. Anno decurrentis xiii. lares 1419. animas 5353; & novissime 5605. Latitudo eadem illi est, ac proximæ Augustæ Civitati, grad. xxxvii. & vii. longitudo paucis decrescit min. est enim inter utrãque pass. m. vi. distantia. Ager amplissimus ad oram usque maritimam ultra Tapsum, & in mediterraneis per montana, complures fundos complectitur, frugum cujusque generis, vini præstantissimi, olei, olerumque feraces, multa arbore consitos, & venationibus aptos; In his *Medolus, &* *S. Cosmanus* mellitas cannas, unde nobilissimum saccarum conficitur, passim ferentes, celebrantur; & in *Medolo* Dedali piscina, sive Colymbetra Alabi fluminis aquas coercens, de qua dixi; apud *S. Cosmanum* ingentis turris vestigia, olim spectatu dignæ; in *Bigeni*. (est fundus ad oram) celebris vetus pyramis, vulgo *Agulia* subrigitur, cujus alibi erit mentio. In *Mastrajano* denique S. Phocæ Martyris nobile, & antiquissimum ex quadro lapide spectatur templum, de quo Scobar in Catal. & Pirrus tradunt, quod a Germano Syracusarum Pontifice ortum recognoscat, circa iv. Christi Sæculum, ibique S. Martyris exuviæ requiescant; ad quas undique venerandas finitimæ confluunt gentes, venenatis morsibus remedium, gregibusque, ac armentis lue infectis sanitatem expertæ. Ejusdem agri ambitu ad littus Balneæ saluberrimæ cum sedibus proximisque ædificiis, hodie susdeque disiectæ, clauduntur, ad Megaridem olim dubio procul spectantes. In collibus Terra foliata, cujus meminit Bocconus, subjecto igne tetrum sulphuris odorem reddens passim effoditur. Irriguum complures fontes, sed Alabus præ-

cipuè

cipuè fluvius hunc quoque agrum reddunt. De Alabo, ex Fazello & Maſſa ſcripſi, quod ortum habeat, ubi *Lymbetra*, breviſſimoque confecto curſu in mare ſeſe evomat, ſed ab erudito Bartholomæo Albani, qui Melillis hiſtoriam concinnatam habet, didici, illius aquas in fundis *Milaterræ*, *& Cunei Regii* ditionis *Melillenſis* ad paſſ: M. III. ab opido circa occiduam plagam, ſub quadam rupe a fonte *Caldurone* abundè erumpere, auctaſque aliis in itinere laticibus, vallem ſeptentrionalem ſub Hyblæis collibus præterfluere, ibique amnis a Mellis dulcedine *Alabi* nomen ſuſcipit, molas frumentarias complures revolvit, arva, viridaria, & amœniſſima fęcundat pomaria. Hinc in valle eadem ſalebroſa aquæ veluti pereunt, nec longe a Piſcina denuo ubertim promanat, ac novis aliis ſibi adjunctis, in mare ſe inferunt tanta copia, uti ad paſſus circiter cccc. cymbis ad piſcium capturam navigabiles præbeantur.

Ex Melillenſibus commendant Alphium Eremi incolam, qui Deipara monente, Netinam S. Conradi diù illuſtravit religioſam domum, ibique admirabilis penitentiæ, omniumque virtutum ſpecimen dedit, prophetiæ ſpiritu claruit, ac Chriſti Jeſu Crucifixi amplexu dignatus, dies ſuos fæliciter clauſit Scripſit ejus vitam Hjeronymus Renda Raguſa. Ant: Mongitore in ſua Biblioth. Joſephum Triſtainum egregium Poetam, & Leonardum Germanum amęnioribus literis apprime inſtructum laudat; Pirrus Dominicum Patavinum Syracuſanæ Eccleſiæ Decanum, & Antonium Pariſium Canonicum, utroſque Pro Epiſcopo, & ſede vacante Generales Vicarios memorat. Joſephi filii Claudius, & Hyacinthus Triſtainus, ille Caſinas Monachus poeticis, & muſicis ſtudiis claruit, alter ordinis Prędicatorum Magiſter, pluries provinciam optimè adminiſtra-

D 2 vit,

vit, & vivit hodie. Paruit denique *Melillis* Augustæ Comarchis, ejusque Comitatus pars fuit, sub Friderico Rege. Ubi autem illa Regii evasit Demanii, sub Martino, anno MCCCCVI. *Melillis* quoque Regii juris fuit. sub Alphonso *Didacus Sandovallus* Hispanus Augustæ Comes est dictus, qui *Joanni Infanti* dedit. Hic *Sancio de Laudonio* illam cessit; unde ad *Antonium* Bellomo devenit. Anno MCCCCXLV. *Petrus de Busulduno* Regis ærario adjudicavit Augustam, ipse verò *Melillim* in feudum accepit. Utriusque dominium *Ferdinandus* Infans anno MCCCCLII. tenuit; qui *Raymundo Guillelmo Moncadæ* vendidit. Hujus filius *Joannes Thomas* Beatrici Brancifortiæ, unceis aureis 15200. acceptis, tradidit; *Joannes* hinc Beatricis vir, & *Nicolaus Melchior* amborum filius Melillis Domini sunt appellati; Hunc sequutus *Antonius*, Messanæ Strategus, ob Matris Belladamæ donationem, a quo *Joannes Antonius Moncada* Thomæ Nepos jus habens, revocavit, & *Salvatori Mastrantonio* Sābucæ Baroni, cujus filio Lucretiam ex se natam conjugem dederat, anno MDXXXI. congrua sibi numerata pecunia, cessit. A Mastrantonio subinde emit *Antonius Covello* anno MXXXIX: Verum *Cæsar Moncada* pretio reddito, ex hujus manibus suscepit, cujus hodie hæredibus *Melillis* opidum obnoxium. Sunt hi釋Paternionis Principes, Calataniffettæ Comites, sedemque in publico regni concilio, uti *Melillis* Barones XIV. occupant, de quibus fusius suo loco.

MELINVENTRIS Fundus, hodie Opidulum *Catena Nova* ad Rigios spectans, sub Centuripe, cujus agri pars olim erat, ideoque Matthęo de Sclafano Adrani Comiti Centoripis Dynastæ obnoxius. Ab eo *Desiata de Bentisano* Gerardi Bonsolis uxor, solutis aureis MD; anno MCCCLI. habuit, confirmantibus mox Eu-

phe-

phemia Regni Vicaria, & Friderico III. Rege. *Gerardus, & Honufrius* Desiatæ hæredes subinde tenuere. Ex Gerardo *Desiata* II. Joannis Eschifani Leontinensis uxor; ex Honufrio *Thomæus*, sive *Bartholomæus*. Anno hinc MCCCCVII. Eschifanus, & Bartholomæus Bonsole, singuli pro dimidio, *Melinventris* erant domini Ejusdem sæculi anno LIII. *Honufrii* II. Bartholomæi filii juris fuisse Barberius tradit, ex quo *Novella* Guillelmi de Perno conjux. Floruit gens Perna Catanæ, & Syracusis, & *Melinventrim* ad Sæculi XVI. pene medium tenuit. *Franciscus Statella* ex Mongelini Dynastis Feudi dominus subinde evasit, & ad suos transmisit. Horum postremus *Gaspar Statella*, qui ad annum MDCXIII. Catanæ splendide vixit, prolemque unicam *Annam Mariam* reliquit. Nupsit hæc *Antonino Riggio*, ex Campifloridi Principibus qui a Regiis rationibus, & Regni Quęstor generalis, Catenæ Principis titulo donatus, *Andream*, & Agathinum filios habuit. Hic Episcopum Cephalædensem egit, in publicis provinciæ Comitiis Primas, ex XII. Regni viris, Apostolicæ Legatiæ Judex, & Iconii Archiepiscopus effulget; Andreas vero patri in Quæstura successit. Primus ab sinistra Chrysæ fluminis ripa haud procul, in levi tumulo homines congregavit, atque opidulo condito, *Novæ Catenæ* vocabulum attribuit, Paræcialis Ecclesiæ sub Jesu, & Mariæ nomine ad austrum fundamenta jecit, & brevi illam promovit; Vias amplas, & rectas distribuit, quadrato schemate universum ædificium jussit, quod in dies incrementa suscipit. Clauditur Catanensis diœcesis finibus; census est larium 200. animarum 500. Jam vero, ex Andrea, & Antonia Riggio ejus conjuge *Antoninus* in lucem prodiit, qui a Patris morte, hoc ipso, quo scribimus, anno, *Catenæ Novæ* Princeps, & Rege annuente, Quæstor & ipse Generalis renunciatur.

Digitized by Google

MELITA in mari Libyco insula, sed Siciliæ adscripta, quod illi semper obnoxia, & proximior, inclyti equestris ordinis S. Joannis Jerosolymitani hodie sedes, ejusque Magno Magistro feudi jure devincta; *Melivetum* ævo medio, vulgi vocabulo *Malta*, inter gradum latitud. XXXV. & XXXVI. posita, atque in XXXIII. longitud. incidens, pass: M. LX. in ambitu, extensa scilicet in latum M. XII. in longum XXIV. patet. Siciliæ autem adjacet ad austrum, & hybernum occasum, inter Pachynum, & Camarinam; hinc illud Strabonis lib. VI. *Ante Pachynum jacet Melita*, distatque a Syracusis, Diodoro teste, stadiis DCCC. uti Cluverius emendat, idest pass. M. C; ab *Alpusallo*, vulgo *Pozallo* statione, in ora proximiori opposita pass: LX. M. Quamvis, uti verum fatear, de hac Maris intercapedine, etiam inter veteres non conveniat, & variam ipsi quoque recentiores designent. Latus *Melitæ* septentrionale Siciliæ objectum, plures habet portus, & stationes non insecuras; austrinum nullum præstat navibus aditum, altisque passim scopulis, ac rupibus inaccessum cernitur; qua solis hybernum respicit ortum stationem amplissimam efficit, *Massa Sirocca*, idest Euri portum, appellatam; ubi tandem ad æstivum vergit occasum contra Gaulum, in quādam veluti peninsulam desinit. Mediterranea cętero, tumulis aliquot interspersis, sed humilibus uno perpetuo saxo constare videntur; sed colonorum industria, clymatisque benignitate, frugifera nihilominus audiunt, uti de agro loquens paullo post adnotabo.

Civitas cognominis, quæ & *Medina* a nonnullis, circa Meridionalem plagam, collem veluti insulæ umbilicum, pene in medio occupans, Episcopali Cathedra decoratur, & *Notabilis* in Regiis Siciliæ libris titulum

Digitized by Google

tulum refert, quo quidem nomine hodie compellatur; & aliis Civitas vetus dicitur. Illius primi conditores Phęnices passim traduntur, qui circa Siciliam olim insulas ex Thucydide occuparunt; Hi totum collis planum verticem ab ortu, occasu, & aquilone tenuere, ab austro vero valle, & fossa firmatam voluerunt. Sed nunc pass: M. circiter in ambitu colligit; Arcem ad ortum habebat, & turrim ante præcipuam portam ostendebat, quarum prima Alphonsi Regis ætate anno MCCCCLV. altera sequentis sæculi anno LII. quod urbi potius noxia videretur, disiecta. Hodie binis propugnaculis, Portæ Regalis, & Græcorum appellatis, circa muros munitur, quorum summitates asseribus constratæ, tormentis bellicis onerantur, ad repentinos Turcarum incursus coercendos. Illius princeps Templum decentissimè extructum, sedesque Episcopi, Deiparæ olim, mox S. Paolo Apostolo, ob ejus ad insulam appulsus memoriam sacrum, insigni Canonicorum collegio fulget; Alumni enim, Romanæ Curiæ indultu, cruce, ut ajunt, pectorali, & mitra utuntur; aulamque eidem basilicæ adjunctam satis laxam, & nobilissimam habent; Aulæis sericis auro contexto ornatis ex dono novissimi Antistitis de Alferan, necnon variis e mamore sepulchris, aliisque elegantiis nobilitatur. Ex Religiosis domibus I. S. Mariæ Annunciatæ pro Carmelitis, qui XII. ineunte sæculo extra męnia ad pass: M. II. sub titulo S. Leonardi, extructis in opaco loco exiguis casis, solitariis vitæ studiis inhæsere, inde ab anno MDLXX. ædificiis in urbe institutis, & dote auctâ, cultui Divino, & animarum saluti intendunt. II. Minorum Observantium in suburbio, vulgo Rabbato, antiquissima sub S. Mariæ de Jesu nomine. III. Eorumdem Minorum Conventualium, quam anno MCCCCLXX. in eodem Rab-

bato

Digitized by Google

bato prope vetustam S. Francisci Ecclesiam hospitalem, fundatam lego, Pirri ævo collabentem, hodie instauratam. IV. Fratrum Prædicatorum in S. Mariæ de Crypta anno MCCCCLXXXIX. in Rabbato etiam extructa, tyronibus instituendis dudum capax; nobilis denique cum fabricis, tum regulari districtione, tum alumnorum celebritate. V. demum Eremitarum S. Augustini tota insula illustrior extra mœnia ad jactum lapidis, primùm anno LX. ejusdem sæculi XV. sub. S. Patriarchæ, & Doctoris nomine, inde post direptionem a Turcis passam MDLI. ad S. Marci intra pomœrium magnificentius excitata, dudum suorum Academia. His Sanctimonialium sub nomine, & regula Divi Benedicti Cœnobium accedit, quod Abbatiam novam appellat lib. 1. Bosius. Reliqua privata ædificia decentissima; Magistrale Equitum Joannitarum palatium primas exhibet substructiones; ubi olim Arx, Episcopale, majori Ecclesiæ proximum, spectatu dignum. Post portæ ingressum vetusta Junonis statua octopalmaris occurrit, quæ olim totius insulæ apud Ethnicos titulare numen. Balneorum vestigia adhuc perstant; loculi in lapide excisi, lucernæ fictiles, phialæ, aliaque id genus, ac præsertim numismatum monumenta passim in urbe, & extra in agro occurrunt, de quibus suo loco.

Jam vero in Rabbato, quod urbe ipsa frequentius, Beatæ Agathæ celebræ vetus templum, & parœciale, cum ejusdem Virginis simulacro, in præcipuo cultu indigenæ habent; non semel enim in præsenti discrimine, singularem contra Turcas adiutricem illam experti sunt; & cum Apost: Paulo patronam idcirco adscitam venerantur. Ad duo passus M. meridiem versus, in edita rupe, Arcem Verdalam memorat *Abela* quadrangularem ab Ugone Verdala Ordinis Magistro autho-

authore nomen habentem, circa quam luci, & viridaria ad delicias. Contra occiduam plagam, ab urbe ingens terræ tractus ad oram usque maritimam protenditur, vicis, villisque infrequens, sed suburbanis civium ædibus, amœnis viretis, ac pascuis lætus, oculo non ingratus evadit. Aquis enim passim abundat, quarum ingens copia, ductuum opere magnifico instituto, ad novæ urbis Vallettæ commodum derivatur. Quà porro ortum, meridiem, aquilonemque eadem vetus civitas respicit, tot pagis ager instruitur, uti urbis speciem exhibeat; quorũ nomina in parœcias x. distributa Pirrus ex Bosio enumerat. *Abela* in iis recensendis nonnihil variat; tabulis, seu *Mappis* parum fidendum. Nonnullos Ego ex præcipuis memorabo: *Nayara*, *Naxiar*, & *Musta* ad aquilonem eminenti loco, totiusque pene insulæ prospectu amœnissimo sedent; quorum incolæ primos a S. Apostolo Paulo Baptismi, aquis regeneratos [redacted] Canonico insigni Collegio decoratur. *Zurigum* in tumulo ad austrum pulcherrimi aspectus mortales incolunt, qui leuconii operibus præcipuè intendunt: *Zebulgi* quoque incolis frequentissimi ad ortum, lini, & leuconii artificium viget. *Paula* ex recentioribus B. Ubaldeschæ Virginis, Joannitarum ordinis, æde nobilitatur. *Biskellin*, & *Bisbut* Siculorum Coloniæ sunt. *Cassar* ab antiquo Castello nomen habet hodie diruto; *Curmi* a portu haud procul, olim *Fornarus*, a Magno Ordinis Magistro Emmanuele *Pinto* Civitas appellatur, frequens, & non ignobilis, quod Vallettæ sit propinquior. *Kakibir* denique amplissima est crypta, ubi conplures familiæ agri operibus intentæ habitant. Reliqui pagi levioris sunt momenti; hinc ad maritima Insulæ loca describenda progredior.

 Por-

Digitized by Google

Portus ingens æstivum ortum contra Siciliam respiciens, præ aliis ejusdem orę tutior est, totoque penè orbe operibus, & munimentis nulli secundus; quumque protensus ad fauces usque terræ tractus, vulgo *Lingua*, Græco ore *Dithalassus*, sinum dividat, duo hinc stationes majorum navium capaces, ab accessu ventorum immotæ occurrunt, quarum una in orientem *Marsa* Punicè, *Portus* Latinè, altera in occasum *Marsa Muscet* dicuntur. In tractu, seu *Lingua*, quæ passus M. II. circiter in longitudinem, & pass. D. in latitudinem extenditur, S. Ermi, seu Erasmi arx celeberrima, & *Valletta*, Civitas nova cum *Floriana*, seu *Sarria* imponuntur; ad cujus sinistram parva insula *Marsæ Muscettæ* portum occupat. *Marsa*, sinus orientalis, terræ excursus, seu *Linguas*, quum habeat ternas, in sinus minores dividitur, quorum primus Portus Gallorum, inter *Cordinum*, & *Sangleam*; secundus Triremium portus appellatur, alluitque utrinque *Burmulam*, *Sangleam* ab aquilone, & Suburbium ab austro, ac belli tempore catena clauditur; tertius ab Anglis dictus, hinc suburbium, illinc breviorem habet tractum a suburbana *Bibichii* villa appellatum; Quartus denique *Arenellæ*, *Birchio*, *&* *Ricasolis* munimento ad *Ursæ* cupidem circumscribitur. Est cuspis hæc portus *Marsæ* promontorium orientale, cui *Dragutti* caput ad occasum respondet, unde in *Marsæ Muscettæ* portum aditus aperitur. De quibus singillatim.

Arx igitur ad ipsas portus fauces in ampla prærupta sedet rupe, cujus undique latera validis firmantur propugnaculis, & opere præsertim coronato, ab ædicula S. Erasmi Episcopi, quem vulgus *S. Ermum* appellat, nomen sortita, originem ab S. Joannis Equitibus anno MDLII. recognoscit, qui strenuè illam con-

tra

tra Turcas diu propugnarunt. Ibi Pharus ad nautarum commodum. Post hanc *Valleita*, Civitas nova, utramque collis *Sceberras* occupans oram, in meridiem sita videtur. Ejus extruendæ initium anno MDLXI. factum, Joanne Valletta Magno Ordinis Magistro authore, unde cognomen, & *Humillimæ* titulum, necnon scutum, cum parma miniata, & aureo Leone accepit. Hic opera militaria propugnaculis munitissimis eminentia, Magistrale Palatium Regio haud impar, ædificia pro Equitibus ordinis, Albergiæ vulgo, ad omnem magnificentiam, Viæ rectæ, & latæ, Paræciæ, Monasteria, Domus hospitales, civium denique privatæ sedes undique superbiunt. Et Palatium quidem urbis medium occupat cum turri, & area ab austro, & occasu, ubi fons, cui Cancellarii, Quæstoris, & Conservatoris ædes magnificæ adjunguntur. Illud porro *sumptuosissimum, regale, sed religiosum* appellat Pirrus, cujus in aulis amplissimis Ordinis comitia coguntur. Incoluit primus Petrus de Monte M. Mag. anno MDLXXI, qui a præcessore suo incœptum perfecit, ornavit, novosque cives in urbem die XVIII. Martii induxit. Equitum *Albergiæ* ad octo numerantur, ubi Fratres Milites habitant ex unaquaque natione discreti, & provinciæ negotiis agendis conveniunt. Paulus Lascaris, & socii novam addidere satis nobilem, vulgo *Cameratam*, in qua peculiari studio piis exercitationibus Equites cujusque nationis, communi mensa utentes, incumbunt. Sitæ penè omnes ad occiduas urbis plagas videntur. Conventualis Basilica S. Joanni Baptistæ dicata Magistrali palatio haud procul, & circa centrum, jussu Joannis Levesque M. Mag. a fundamentis extructa, ab Ludovico de Torres Monregalensi Archiepiscopo sacro inuncta oleo, præclaris nobilitatur sacellis, quorum octo toti-

 dem

dem Equitum *Linguis* addicta, nonum S. Carolo Borromeo Ordinis, dum in vivis aggeret, Promotori, & Deiparæ de *Filermo* decimum, cujus icon S. Lucæ manu, uti tradunt, exarata, auro gemmisque dives ab Jerusalem Rhodum, atque hinc *Melitam* cum aliis Sanctorum lipsanis, ceu thesaurus deportata. Jam Ecclesiæ hujus ornatus ad omnem elegantiam splendet, præque cæteris sepulchra elaborato marmore, spectatu dignissima sunt. Supellex omnino dives, vasa, thensæ, candelabra ex argento fuso, numero, & artificio insignia; Rector Pontificiis decoratus vestibus, & quasi Episcopali in suos Conventuales Clericos jurisdictione prædítus, Prioris titulo, cum suo Vicario, & Capellanis ex Ordine, cappa chorali purpurea indutis, sacris officiis intendit. Hospitalis Domus ad oram ortus æstivi tota Europa celeberrima assurgit, quò ex omni loco ægri conveniunt, hisque publica Ordinis impensa, charitatis officia exhibentur, cum a Magistro Hospitalario, ejusque administris, tum ab Equitibus, tum denique a peritissimis in arte medica pingui honorario conductis. Est ibi etiam pro puellis, quæ parentibus orbantur locus, uti & pro ignotæ originis pueris. Ultra Conventualem Ecclesiam, quæ est Ordinis paræcia, S. Mariæ de Portu Salvo, quam Fratres Prædicatores administrant, Pii V. Rom. Pont. rescripto MDLXXI. instituta, & S. Pauli Apostoli sunt præcipuæ, ac S. Mariæ de Victoria dudum Conventualis, demumque S. Mariæ de Damasco, ubi Græco ritu Divina celebrantur, pro Græcis *Vallettæ* incolis Paræcialis, quæ S. Nicolai ædem habet suffraganeam. Pro S. Pauli autem paræcia, non leves olim ortæ sunt controversiæ. Quum enim collis *Sceberras*, in quo *Valletta*, ad Casalis *Curmi*, seu *Fornari* diœcesim spectaret, [Curmi hodie dicitur Civitas

vitas *Pinto.*] Episcopus Melitensis, ejusque Canonici volentes Ecclesiam jure paræciali designare, Carmelitarum sacram ædem primum delegerunt, mox sub S.Pauli nomine novam moliri cœpere; in qua a Sacerdote per Episcopum designato Sacramentis ministrandis opera dabatur. Contendebant interim Dominicani id jus ad se unice spectare, ex Pii V. privilegio. At re in judicium deducta, ac diù examinata, pro Canonicis decretum est, & fines utriusque Paræciæ in urbe sunt designati. Crevit hinc S. Pauli Ecclesia Catharinæ Valentis divitiis, quæ pro Sacerdotibus IX. Divina officia ibi celebrantibus congrua stipendia attribuit; subindeque Camillæ Cagnano Testaferratæ novis pinguibusque proventibus aucta, quibus Canonicorum insigne Collegium Rom: Pontifice indulgente MDCCXXVIII. coaluit ex binis dignitatibus, sodalibusque X. ac aliis mox, paucis ab hinc designatis. Religiosæ porro familiæ *Vallettam* illustrant, Societatis Jesu Collegium, quod anno MDLXXVIII. Thomas Gargallus Episcopus proprio ære fundavit, nobilibusque ædificiis instruxit; Minorum Observantium S. Mariæ de Jesu nomine, quibus decens cœnobium anno MDLXXV. Joannes Levesque M: Mag: ad portum constituit; S. Francisci Conventualium, qui sæculo XVII. ineunte cum omnium scientiarum academia coaluere; Carmelitarum. His prope *Mandrachium* anno MDCIV. locus est datus, mox juxta Alemanniæ *Albergiam* circa occasum ab Augustinianis relictum Monasterium cessit; S. Augustini demum juxta *Mandrachium*, & Gallorum *Albergiam* anno MDC. ex commutatione cum Carmelitis. Sed illi multo ante *Vallettæ* MDLXXI. sedem statuerant. Decus quoque urbi conciliat nobile Monialium, ejusdem S. Joannis instituta sub S. Ursulæ nomine profitentium, Asceterium ad portum, Verdala M: Mag:

au-

authore MDLXXXIII. excitatum. Orphanis demum puellis alendis, dotandisque sub regula Carmelitana, & S.Catharinæ titulo claustra ad aquilonem, excipiendisque pravis mulieribus ad bonam frugem conversis, sub S.Mariæ Magdalenæ nomine, & S. Claræ ordine domus conspicitur, circa meridiem. Urbis facies juxta collis indolem inequalis, ad unum, & alterum littus declivis est; viæ pene omnes ab hyberno occasu, ad æstivum ortum, oppositisque plagis in longum, & latum rectâ protenduntur; Portæ elegantes ex lapide, & præcipua Pii. V. Pont. Max. insignibus decoratur, Regalis appellata, a mediterraneis excipiens, duo inter munimenta; altera ad portum, ubi Gigantis simulacrum, cum insigni fonte; a qua non longe circa austrum Magistrale viridarium, & huic ad delicias adjunctæ ædes assurgunt. Propugnacula circa urbem cuique nationi, seu *Linguæ* addicta, *Postæ* vulgo dicuntur. *Dogana*, & Balneum mancipiorum est carcer satis amplus. Fossæ insuper, & prætenta propugnacula, parmæ promurales, aliaque id genus opera *Vallettam* a *Floriana*, seu *Vilhena* dirimunt, quæ suis, & ipsa ab una, & altera portus ora mœnibus munitur; & ubi continenti adjungitur, cooperta via, operibusque semilunari, cornuto, & coronato, juxta artis regulas ab anno MDCLXX. eximii Architecti Mauritii Valpergæ industria, validissimè instruitur, & pene inexpugnabilis censetur. Hæret ejus muris circa meridiem Capuccinorum cœnobium in portus Marsæ littore, *Verdalæ* jussu anno MDLXXXIV. ædificiis conspicuum. Claudit *Floriana* S. Mariæ de *Sarria* insignem Ecclesiam, Pyrrii pulveris repositoria, suburbanas domus, viridaria, consitisque hinc inde arboribus amœnissimas vias, ac veluti *Vallettæ* Suburbium habetur.

Ad-

Adjacet *Florianæ* ab ortu *Cordinus* humilis, amplusque tumulus, occiduo, & aquilonari ablutus mari, ubi Parcus, quò ad venationem, aucupiumque M. Magister cum suis se confert: Hinc sinus, seu portus Gallorum, Insula, sive *Sanglea*, de qua inferius; ordine enim, & dignitate Civitas *Victoriosa* succedit, ita cognominata, quod Turcarum obsidionem invictè toleraverit. Hæc frequens eo adhuc tempore erat, quo S. Joannis Equites insula sunt donati, & Suburbium appellabatur; sedet in terræ cuspide, seu Dithalasso, duos inter sinus contra *Vallettam*, quorum qui in austrum vergit, a *Triremibus* dicitur, eò enim Triremes Ordinis hyberna, ac stationem habent, clauditurque, utpote angustior, ubi opus est, catena ferrea. In promontorio Sarraceni olim *Castrum ad mare* contra portus fauces statuerunt, quod Equites, ubi primum MDXXX. insulam tenuere, inexpugnabile variis operibus redditum S. Angeli vocabulo distinctum, fossaque a suburbio separatum omni ex parte mari circumfluum voluere, ponte tantum sublicio adjecto, & parvo isthmo ad aquilonarem oram relicto, quæ mœnibus, & propugnaculis etiam instruitur. Veterem parecialem Ecclesiam S. Laurentio sacram religiosæ Militiæ caput ad annum LI. laudati Equites constituere, in eaque aliquando Ordinis officia celebrarunt; demigrantesque subinde Vallettam, Insulæ Episcopo, ad quem antea spectabat, cessere. Instituerat quoque MDXVIII. Bernardus Cotognanus Melitensis Præsul sub S. Dominici regula asceterium, & Deiparæ Annunciatæ titulo donaverat, quod insigne hodie splendet urbe penè media; Ad nautarum vero, & militum commodum in triremibus degentium, Carmelitis Fratribus ædes ad littus sunt designatæ; Monialium denique Benedictinarum, S. Scholasticæ nomine

Pauli

Digitized by Google

Pauli Lascaris opera, dum in minoribus esset, excitatum est Monasterium in domo, quam habuit primam Joannes Valletta, ubi e Castello S. Angeli in Suburbium descendit. Vetus cętero Magistrale palatium Legato Pontificio, & Quæsitori in rebus fidei cessit. Ad littus australe construendis navibus aptæ officinæ, seu Navale surgit. Ubi fossa inter arcem, & urbem, templi Junonis scriptoribus memorati rudera occurrunt.

Jam *Insula* alter est terræ tractus, *Vallettæ* objacens inter *Cordinum*, & *Suburbium*, interque duos sinus procurrens, a Claudio dela *Sangle* M. Mag: firmissimo propugnaculo circa isthmum instructus, a quo nomen idcirco accepit. Vocatur, & *S. Michaelis*, quod ejusdem S. Archangeli die Claudius in Molendinorum colle arcis substructiones anno MDLII. jusserit. Victricis denique titulo civitas decoratur; Turcis enim obsidentibus fortiter illius incolę obstitere. Hinc, & Paræcia S. Mariæ de Vittoria appellatur, quæ structura magnifica superbit ab arce haud procul; eique altera sacra ædes S. Philippi titulo insignis non impari celebritate, & elegantia respondet. Męnibus *Sanglea* caret, nisi in extrema cuspide, quæ opportunè munita fluctibus tunditur. Post arcem ad isthmum, de qua dixi, ubi sinuatim mare continenti illabitur, novæ amplissimæ officinę ad reficiendas naves hinc, illinc S. Teresiæ Carmelitarum cęnobium ab anno MDCXXVI. piorum eleemosynis fundatum, subrigitur; & *Burmula* succèdit olim pagus, hodie civitas, ædificiis, & titulo *Conspicua*, muris, & propugnaculis, cooperta via, prętentisque munitionibus vallata; quę inter S. Margaritę ad ortum satis amplum eminet, & validum castellum, cũ Magistralibus ędibus. Hujus paręcia S. Mariæ de Auxilio titulum pręfert, sed & S. Crucis Ecclesia spectatu

etiam

etiam digna. In interiori sinus angulo, ubi naviculę noctu clauduntur, argines sunt, vulgo *Mandrachium*. *Burmulam* porro *Sangleam*, & *Suburbium Cottonerae* ingentis amplitudinis, & munitionis opera ambiunt. Horum molitio Nicolao de Cottoner Gallo M. Mag. adscribenda, qui anno MDCLXX. Valperga Machinatore alibi laudato graphim designante, magna auri profusa vi, septi fundamenta in elevato parumper solo jecit, fossas, propugnacula, vias testudinatas, portas denique magnificas semicirculari figura jussit, tanto quidem spatio, uti commode eò coacti insulę totius incolæ tueri ab hostium assultibus possint. Opus perfecit, novumque illi robur addidit Gregorius Caraffa Nicolai successor.

Postremum *Cottonerae* propugnaculum aquis abluitur sinus, seu portus Anglici, quem ab austro tumulus mari impendens claudit, ubi suburbanum, & viridaria, cum leporario, Equitis olim Magnæ Crucis Bichii opera, & impensis constituta spectantur; hodie supremis Triremium Pręfectis destinata. Hinc *Arenellae* sinus, quem magni portus *Marsae* promontorium orientale, *Ursae* caput appellatum, excipit. Id laudatus *Cottoner* arce firmandum jussit, Francisco *Riccasole* Florentino Equite stipem suppeditante, unde nomen arci obvenit. Est hęc juxta soli indolem satis munita, amplissime extensa, tecto itinere, promurali parma, aliisque operibus ab ortu, ubi continenti adjungitur, vallata.

In occiduo *Muscet Marsae* portu insula jacet, figura pene triangulari, ubi S. Rocchi ędes, & Lęmocomii officinę; eo enim suspectis navibus locus designatur: cumque ad Vallettę perniciem tumulus ab hostibus muniri posset, novissime Antonius *Emmanuel* Magnus Mag. arcem in ea firmissimam moliendam curavit, quam a se dictam voluit. In quadro posita, por-

tam ab occasu hyberno habet, juxta regulas optime munitam. Sinus in eodem portu non angustus, innominatusque se offert ad eādem plagam. Cuspis denique Dragutti, occidentale scilicet portus promontorium, e conspectu arcis pręcipuę S. Ermi, ab celebri ejusdem nominis Archithalasso dicta occurrit, de qua rursus, reliquo totius Insulę littore descripto, agam.

Post Ursę igitur promontorium arcemque *Ricasolem* *Marsa Sekelia*, idest Portus Siculus se offert, Statio, ad quam Turcarum classis anno MDCXIV. appellens, fędè inde fugata fuit. Munimentum idcirco ibi S. Thomæ a proxima eidem Apostolo dicata ęde dictum Vignacourt M. Mag: jussit. In ora ad hybernū ortum *Marsa Euri*, vulgo *Sirocco*, statio amplissima aperitur, cū protenso terræ tractu, seu *Lingua*, cui validissima S. Luciani arx imposita. Ibi enim MDLXV. Barbari exscentionem fecerunt, in illa sub Solimano celebri expeditione. Visuntur in curvo littore antiquę habitationis vestigia; insigne hinc Herculis fanū veteribus notum, Cluverius circa hęc loca constituit. Latus Insulę austrinum ad hybernum vergens occasum, rupibus pene totum asperum, objectum habet scopulum *Fescla*. Inter rupes autem angusta vallis, per quam mediterranæ pluviales aquæ in mare effluunt, muro, ne sit piratis perfugium, munita, In occidentalibus oris sinus aliquot, & stationes insecuræ, *Kerkero* excepta, unde ad Cominum, Gaulumque vicinas insulas fit trajectus. Nec inde procul parva objacet insula *Marsa*, sed & in continenti propugnaculum assurgit, quod Russum appellant. Septentrionale littus frequentes sinus, & stationes dividunt, satisque peramplus occurrit primus Veterum Salinarum, & de *Melleha* a proxima Deiparę Ecclesia appellatus, post quem S. Pauli portus, ubi Apostolus naufragio superstes

ftes, cum fuis fervatus eft. Inter *Melleham* ftationem, & S. Pauli portum *Dithalaffus*, id eft Bimaris, tractus nẽpe terræ, quem ab utroque latere pelagus tundit, a S. Luca in Act: Apoft. memoratus, cui parvæ objacent infulæ *Salomonis*. Puteus proximus, turrifque ad cuftodiam ab eodem S. Paulo vocabulum fortitur. Ejufdem porro honori elegans affurgit templum ab alibi laudato Vignacourt magnificè excitatum. Statio fequitur *Benverat*, ideft Recentium Salinarum, quæ quidem haud inde procul fpectantur. Hinc fcopulus de *Marta*, feu de *Gallis*, cum cognomine ad littus ftatione, quam S. Mariæ Magdalenæ, & mox S. Georgii excipiunt, ab facris ædibus iifdem Divis dicatis appellationem habentes. Dragonaræ hic, *Abela* referente, ideft ingens vorago aperitur, quò fefe aquæ præcipites, pluviæ tempore agunt, ingentemque fragorem edunt. Statio S. Juliani poftrema venit ab illius Ecclefia vocata, & *Cortinum*; Demumque promontorium fuccedit a *Dragutto* nomen adeptum, quod ibi Thalaffiarca a Solimano Turcarum Tyranno, cum claffe immiffus ad S. Ermi obfidionem Valli lineas, & tormentorum aggeres pofuerit anno MDLXV. His circumfcripta finibus totque pagis, opidulis, & urbibus *Melita* infula referta ad LX. & amplius M. incolas hodie percenfet; Quamquam enim ante Carolum Cęfarem, quum urbe tantum Notabili, Suburbio maritimo, pagifque per IX. parochias difcretis coalefceret, variis, & frequentibus Turcarum incurfionibus difiecta, nonnifi indigenas M. X. circiter enumeraret; ubi tamen ejufdem Cęfaris liberalitate Sacræ S. Joannis Militiæ ceffit, brevi temporis intervallo adeo nobilitata, auctaque fuit, ut anno MDXC. ejufdem cenfus ad 27000. excreverit. Subinde MDCXIV. ad 40000, et amplius. Jacturam porro ex lue peftifera anno MDCLV.

 paffa

passa 11000. ex suis amisit, brevi tamen instaurata frequentissima evasit.

Tantæ multitudini alendæ ager necessaria suppetere par quidem non est, sed è proxima Sicilia, aliisque regionibus annonâ inportatâ, commodis omnibus, & deliciis affluit. Ruralis enim insulæ fęcunditas insignis, fruges alit, pascua, olera, legumina præbet; Vineas; oleas, arboresque cujusque generis sapidissimos ferentes fructus nutrit; Leuconium seu Gossipium larga copia, Cyminum abbundanter suppeditat, mellis præstantia celebratur, solo ipso, ut ita dicam, repugnante, quod lapidosum non tantum, sed una pene lapidea massa constare videatur. Fertilitatis hujus testis cętero est Ovidius Fast: l. 3. aliique, qui *Melitenses* celebrant gossipinas telas, uti Lucretius, Hesichius, Favorinus, Diodorus, Silius, & præ omnibus Cicero, qui Verri exprobat, quod per triennium apud *Melitam* textrinum habuerit, quod mellis quadringentas amphoras, vestium ingentem copiam, & quinquaginta tricliniorum lectos inde Syracusas adsportaverit. Accedit incolarum industria, quibus laborum tolerantia tanta est, uti ex quolibet agello centuplum sibi conquirant; hinc laudatus *Abela* prope vicum *Krendi* profundam memorat fossam, in cujus imo solo vites, consitasque arbores rustici summo cum proventu nutriunt. Jam in eodem agro dentales, glossopetræ, testæ, aliaque marina vestigia frequentissime ita occurrunt, uti Kircherius de Magnetis Effect: lib: 1. cap: 2. subinferat: *Melitam* insulam, & alias consimiles olim e pelago emersisse, ac pelagi idcirco adhuc servare reliquias; quod sanè, an sit illarum citra omnem dubitationis aleam, hic non vacat discutere. Quod sit prodigiosa, Apostolo impetrante, ejus terræ alexipharmaca virtus, noxios arcens ser-

pentes

pentes, pronum eſt credere; ex ipſis Actis namque Apoſtolicis conſtat: *Melitenſes* Apoſtolum ex venenato morſu ſtatim interiturum autumaſſe; noxios igitur ſerpentes ſuos illi habebant; aliter hanc terræ ſuæ a natura ineſſe alexipharmacam qualitatem ignoraſſe, dicendi ſunt, quod omnino abſurdum. Fungus in quodam *Melitæ* ſcopulo circa occaſum celeberrimus quoque provenit, qui Botanicis *Typhedos Coccineus* tuberoſus appellatur; de eo Silvius Bocconus. Herbas alias ferre inſulam medicinales tradunt, noviſſimeque Laguſius Panormi ex iis plures vulgavit. De Catellis, qui veteribus etiam ſcriptoribus celebrantur, & noſtra adhuc ætate ſunt in deliciis, orta hoc ſæculo controverſia, an *Melitæ* inſulæ Illyricanæ ſint tribuendi; ſed Sicula, ſeu Africana *Melita* inſignes hodie nutrit; multiſque retro ſęculis progenuiſſe conſtat; planum hinc erit opinari, Scriptores de hac noſtra fuiſſe locutos. Quod verò Illyricanæ Catellos etiam alat non inficior; ęquè enim una & altera inſula id pręſtare potis, æque a ſcriptoribus ob pręſtantes catellos celebrari potuit.

Nonnullos hic denique illuſtres viros patria *Melitenſes* relatu dignos, uti ſeſe memoriæ offerunt, indicabo, aliis provinciam integram relinquendo. Nobilitarunt igitur *Melitam* vitę ſanctimonia, moribuſque incorruptis S. Publius, quem Paulus Apoſt. primum Inſulæ Epiſcopum conſecravit. Fuerat idem inter ſuos Primas. Andreas Zuerep Ordinis S. Dominici, qui Syracuſis MCCCCLXXVIII. ubi eximiæ virtutis opinione aliquando vixerat, piè obdormiit. De eo Pirrus. Antonius ejuſdem inſtituti, cujus idem meminit Pirrus, Netique editis vitæ in gradu eroico pęnitentis exemplis, illum floruiſſe tradit. Marcus N. & Antonius Tabat, ex Prædicatoribus etiam, qui in S. Citæ Panormitano

mitano cęnobio diversis temporibus, illustribus sanctimonię signis floruere, ubi mortales esse desierunt. Dominicus ex Minoribus de Observantia Neti diù ab innocentia morum, contemplatione, aliisque virtutibus clarus, ibique e vivis exemptus. Bonaventura ejusdem instituti, mox inter primos, Reformatis in Sicilia accensus, eorumdem promotor pręcipuus, Julianę religiosę paupertatis, & pęnitentię speculum mundo denatus.

Dignitatibus, publicisque muniis perfunctos invenio Maurum Cali Ordinis Minorum, qui Episcopum in patria primum egit, mox Catanensem Cathedram moderandam suscepit. Floruit sub Martino, & Blancâ. De quo Pirrus, Grossus aliique. Balthassarem Cagliares Melitę Præsulem, literis, & virtutibus pręditum, zelo ecclesiasticæ disciplinę, atque immunitatis, prudentia demum insignem. Antonium Saeri Ordinis, Prędicatorum, doctrina, & moribus conspicuum, ad Vici Episcopatū elapso seculo assumptum. Salvatorem Imbrob Conventualis S. Joannis Ecclesiæ Priorem. Vivebat anno MDCXLII. Apud Pirrum in Chronologia Reg. Sic. inter Magnos Amiratos, seu Thalassiarcas Regni Henricum Pistorem de *Melita*, Marini Comitem, sub Friderico Cęsare lego; Meminit denique eruditissimus Franciscus Agius Dominici Xeberras, qui Cathedralis Ecclesiæ Archiaconus, M. Magistri Theologus, & Episcopi sui Vicarius effulsit, tandemque Episcopus Epiphanius, & Solii Pontificii Assistens Pręsul adlectus fuit.

Floruere ab ingenii præstantia, editisque operibus Matthæus Rispol, Orator, & Theologus summus, qui ex Pirro scripsit: *De Divinis* Auxiliis. Philippus Cagliola Minor Conventualis Siculæ sui ordinis provinciæ variis *Manifestationibus* Historiam accuratè edidit. Marius Pace Societ: Jesu, gravioribus disciplinis eruditus, & hi-

hiſtoricis notitiis plene imbutus, plura ſcripſit, typiſque ſolum dedit de *Antiquitate Calatajeronis.* Pirro celebrantur Petrus Zereb Carmelita, inſignis Eccleſiaſtes, & Bernardinus Bonit Societ: Jeſu Theologus clariſſimus. Dominicus Macri Sacerdos Romæ diù verſatus Hierolexicon Eccleſiaſticum Italicè primum, mox Latine variis acceſſionibus auctum, eruditis quibuſque probatũ publici juris fecit. Franciſcus Dominicus Bencini in Taurinenſi publica Academia Studiorum Præfectus, eruditionis ſacræ, & profanæ ſtudiis paucis conferendus, de Philoſophia ſcripſit, ac de *Encyclicis Epiſtolis* opus inſigne edidit. Vivebat ætate noſtra. Joannes Antonius Ciantar Græcè, & Latine eruditus, Muſiſque acceptus, *De Appulſu Divi Pauli Melitam* contra Ignatium Georgium paucis ab hinc librum vulgavit. Vincentius Lauſi *de Siculis, & Melitenſibus Herbis,* quibus dignoſcendis periciſſimus erat, opuſculum Botanicis acceptum Panormi typis tradidit. Dominicus Xeberras Epiphaniæ Epiſcopus, de quo ſupra, linguarum peritia paucis ſecundus; ad xv. enim idiomata noverat; Benedicto xiv. ſumme acceptus, Romæ dies clauſit.

Antonium Boſium Romæ Subterraneæ, aliorumque operum authorem *Melitenſem* fuiſſe in noviſſima *Bibliothecæ Siculæ* editione probant Mongitorius, & Serius, quamvis Romanis illum alii accenſeant. Memorantur authoribus hiſce ex *Melitenſibus* longe complures, qui a vulgatis libris ſeſe commendarunt, quos in laudata Bibliotheca, quamprimum edenda conſules.

Melitam hucuſque deſcripſi, & qualẽ hodie demiramur, leviter adumbravi, idque ſolum ſupereſt, uti de iis agam, qui per varias ætates Inſulæ dominium tenuere; quod erit ſimul veterem illius hiſtoriam enarrare. Thucydides lib. 6. varios Siciliæ incolas memorat

illis

illis verbis: *Phœnices prætereà circa omnem habitabant Siciliam, occupatis ad mare extremis partibus, parvisque insulis ei objacentibus.* Stephanus: *Est & alia Melita insula Carthaginensium colonia.* Diodorus lib. 5. de *Melita*: loquens: *Est autem hæc insula Phœnicum Colonia; qui quũ navigationes suas ad Oceanũ, otia usque occidentale extenderent, refugium in hanc insulam, ob portuum commoditatem, & in alto mari situm, habebant.* Carthaginienses porro Græcis dicti sunt quoque Phœnices, & Latinis Pœni; haud dubium idcirco Stephanum *Phœnicum Coloniam Melitam* dixisse, dum illius incolas *Carthaginenses* appellavit. Cluverius his recitatis, Quinam Mortales *Melitam* ante Phœnices tenuerint, nihilominus ostendere conatur, illudque Homeri assumit Odyss. lib. 6. *At Minerva ibat ad Phæacum populum atque urbem, qui antea habitabant in spatiosa Hyperia prope Cyclopes, qui eos prædabantur*; atque Hyperiam, e conspectu Siciliæ, Cyclopum terræ, *Melitam* esse affirmant, in qua Phœnices habitabant olim, sed quum hi a Cyclopibus vexarentur, in Corcyram insulam migrarunt, quæ idcirco Phæacum urbs est appellata, eòque Minervam pervenisse Homerus tradit. At enim, quod Phæacum terra fuerit Corcyra dicta, non inficiar, id firmantibus Apollonii antiquo scholiaste, Eustathio, Plinio, Juvenale, ac præ cęteris ipso Thucydide lib. 1. quos omnes refert idem Cluverius. Quod verò Corcyræ incolæ Phæaces e *Melita*, Hyperia appellata, primum profecti fuerint, unde ex Apollonio eruat Cluverius, prorsus non dispicio. De Hyllo loquitur Apollonius, quẽ formosa Melite peperit Herculi apud Phęaces; Sed Hercules ad domum Nausithei Regis in Macrim pervenisse, ut Bacchi cunabula veneraretur; ibique *Melitem* Najadem adamasse,

ſe, teſtatur Poeta. Num Domus Nauſithei, & Macris apud Phæaces erit *Melita*?, aut a *Melite* puella nomen habuit inſula? Deinde Liburnici maris inſulas memorans Apollonius, eas inter poſt Corcyram, *Melitam* Illyricanam reponit; quis autem noſtram unquam ad Liburnicas pertinuiſſe inſulas ſomniavit? Huc redit illud, quod de Hyperia loquens alibi dixi: lib. 8. Homerus Cyclopes naves minimè habuiſſe tradit, quo igitur pacto lib. 6. Phæaces *Melitæ* inſulæ populos a Cyclopibus in Sicilia degentibus pulſos obtrudere poſſet? Id, inquit Cluverius, poetarum more uſitatiſſimo fecit; at ex levi tantum fundamento, nota hac tam inſignis Author inuri non debet. Cęterò dum nego *Melitam* fuiſſe Hyperiam, ejuſque primos incolas Pheaces a Cyclopibus, pulſos, non inde ante Phœnices inſulam noſtram cultoribus deſtitutam affirmo.

Forte igitur mortales alios ante Phœnices *Melitam* tenuiſſe incongruum non erit opinari. Poſt hos Græci, de quorum appulſu variant Scriptores. Scylax, qui altero pene ſæculo poſt Græcorum in Siciliam tranſitum vixit, ſuo tempore a Carthaginienſibus habitatam innuit. Diodorus. cc. annis Scylace poſterior: *Melita*, inquit lib. 5. *portubus compluribus, iiſque percommodis inſtructa eſt, opibus abundant incolæ; variorum quippe operum artifices habet, inter quos excellunt, qui lintea inſigni ſubtilitate, & mollitie texunt. Domus illic ſunt perpulchræ ſuggrundiis, & albario operè, magnificenter exornatæ. Colonia hæc eſt inſula Phœnicum .... Quæ cauſſa fuit, uti incolæ mercatorum beneficio brevi, & opibus augerentur, & nomine inclareſcerent.* Diodorus ſub Auguſto ſcripſit, quo tempore jam *Melita* ſub Romanis degebat. Quod ergo ait: *Colonia hæc eſt inſula Phœnicum*, oſtendit incolas adhuc Phœ-

nicio more viventes, originis suæ minime oblitos. Sed & Lycophron in Alexandra Græcorum quosdam a Troja capta, coloniam deduxisse *Melitam* tradit: *Alii Melitam insulam inhabitabunt, quam undique fluctus Sicanus prope Pachynum rigat.* Cui Thucydides opponitur scribens, Phœnices insulas hasce nostras circa Siciliam tenuisse CCCCXLVIII. annis, ampliusque, post Trojæ excidium Hinc Lycophron in Alexandra, quam inducit vaticinantem, id poeticè canit. Ut porro veteres Punicis literis inscriptos lapides, & columnas *Melitæ* inventas Fazellus evulgat, ita Græcè exaratos alios, & numismata Græcè literata habemus; Si veræ sunt Phalaridis Epistolæ, Græcè conceptas ad *Melitenses* duas legimus. Summæ artis, & operis antiqui ornamenta complura *Melitense* Junonis templum tenuisse, Cicero notat. Nec enim operis, nec artis quidem fuisse Punicæ credenda, sed Græcæ. Ex quibus eruas Græcos sese in *Melitam* aliquando invexisse, ac Insulæ dominium usurpasse; Templa, numos, cultu, & mare Græcanico fabricasse, quamvis nusquam Punicos insula abactos crediderim, quod ex Punico adhuc sermone, quem servant, facile evincitur, Pax ad Ægades insulas, primo Punico bello confecto, inter Romanos, & Penos inita, Siciliam, & Sardiniam illis asseruit, *Melitamque* jam tunc Siculæ provinciæ adnexam credere pronum est. At bello II. Punico exardescente, XII. anno post exitum primi, T. Sempronius Consul in *Melitam* insulam, quæ a Carthaginiensibus tenebatur, trajecit; Huic advenienti Gisconis filius præfectus presidii, cum militibus, opidumque cum insula traditur. *En Punicum præsidium*, ait Cluverius, *cum præfecto, Romano traditur. A quibus hominibus, haud dubie a Græcis: nam de Pœnis id cogitare perquam*

ab-

Digitized by Google

absurdum est. Silius lib. 14. ubi Siciliæ populos, urbesque enumerat, quarum aliæ Romanas partes, aliæ Carthaginienses sequebantur, *Melitam*, quoque illis accenset, uti de Gaulo dixi. *Romana petivit.*

Fœdera Callipolis, lapidosique Engion artus.
Hadranum, Hergentumque, simul telaque superba
Lanigera, Melita.

Hinc Socii postea *Melitenses* appellati sunt Populi Romani, uti Cicero Verr. v. scribit; nec dubium quod Græci. Quid quod Battus ipse antiquissimus *Melitæ* Rex, Græcus etiam Cluverio, nec immeritò, creditur? Refert hic Ovidii versus Fast. lib. 3. & Annæ Didonis sororis fabulam a Poeta perscriptam; quâ enarratur, ut domo pulsa a Mauro Jarba, ratem nacta, *Melitam* petiit, ibique a Batto excepta est: mox vero subdit *Battus fuisse Græcorum omnium nomen proprium, inter alios Suidas tradit in Lexico. Ovidius quum sciret Battum ex Thæra insula Græcam coloniam in Africam deduxisse, jam ante expeditionem Trojanam, Melitam vero jam antiquissimis post bellum Trojanum temporibus a Græcis habitatam fuisse, Regem in hac fingit sub Trojæ excidium, quam adhuc Phœnices tenerent, nomine Græco Battum*, Ex quibus omnibus id concludo: Græcos incolas habuisse *Melitam*, jam inde a primo Græcorum trajectu in proximam insulam Siciliam; subindè Romanos, qui eam Siculæ provinciæ adjecerunt; cujus rei testimoniũ Verris sunt facinora, & rapinæ cum contra Diodorum *Melitensem*, tum in celeberrimo Junonis templo, quod omnibus donis, ornamentisque Prætor ille Siculus nudavit, tum denique ex illo Ciceronis Verr. 4. *Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ plurimam vestem Melitensem Syracusis exportasse.* Huc facit Epigramma illud

Græcum mamoreo ingenti sepulchro appictum ab Joanne Quintino allatum. Λ. ΚΑ. ΥΙΟΣ. ΚΥΡ. ΙΠΠΕΙΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. Ideft, uti Ego legendum puto: *L. Caii Filius, Quirina, Eques Romanorum, Primus Melitensium.* Veluti hic fuerit pro Republica *Melitæ* Præfectus.

Sub Romanis Imperatoribus silent quidem de *Melita* profani authores, sed ex sacris Apostolum Paulum ex tempestate eò appulsum clarissime colligunt. Divus enim Lucas, Pauli eo in itinere comes, qui Apostolorum Acta scribit, in Adria navigantem, ait, typhonico vento triduo agitatam continuo ratem, ad *Melitam* insulam demum salvis omnibus ejectam devenisse. Est in Adria Meleta insula, & hanc idcirco Apostoli naufragio nobilitatam nonnulli ex antiquis, & alii novissime vulgarunt. Sedenim Adriam ad mare usque Siculum austrinum, in quo nostra *Melita*, tunc extensum multa evincunt. Typhonici venti vis æque ad nostram jactare posse naves, invictè ostenditur; Vetera monumenta, & bene multa, necnon constans traditio id clamant; pervicaciter hinc alteri a nostra *Melita* id decus asseritur, Monumenta sunt ex nostris Cajetano, Abela, Fazello, & Agio Dithalassus, seu Bimaris, *Salmon* hodiè, Lucæ memoratus; sinus S. Pauli; ædes ejusdem, accolis *Telbachar*; altera sacra ædes Sancto Joanni dicata, in loco, ubi nautas, & incolas Apostolus baptizavit; *Talchareb* Specus, ex qua lapilli adversus venenatos morsus præsens remedium, merito, uti affirmant, Pauli; Puteus, seu fons ejusdem jussu enatus; S. denique Publius, qui hospitio excepit, *Melitensium* Episcopus I. a Paulo constitutus, cui alii successerunt. At hæc, quum fuerint novissime agitata, alibi in authoribus. quos recensui, delibanda, Ad insti-

stitutum redeo. Sub Byzantinis Imperatoribus apud Procopium mentio *Melitæ* occurrit, qui prodit Belisarium e Caucanis, Siciliæ portu, cum classe, ut contra Africam duceret, solvisse, & brevi *Melitam* appulsum, mediam inter Africam, & Siciliam, utique tunc ad Byzantinos spectantem, inde ad Africæ oppositum littus navigasse. Luxit insula sub Sarracenis ad plures annos, quibus Rogerius Comes devictis, in potestatem suã illã vindicavit anno MXC. Parata enim in portu *Rasacambri* classe, *Melitam* enavigans, suos, paucis obsistẽtibus, in terram exposuit, triduoque post urbem in deditionem, insulanosque in fidem accepit, Gayto Sarraceno Melitæ Principi libertatem, divitias, utque in sua superstitione deinceps viveret, concessit. Christiana demum sacra Gualterio Episcopo designato, restituit, Templum maximum instauravit, dotem cum in eadem insula, tum in Sicilia constituit.

Anno MCXIII. Primus *Melitæ* Comes *Margaritus*, sive *Martinus de Brundusio* Magnus Siciliæ Thalassiarcha sub Henrico Imperatore ex Siculis tabulis elucet, cui *Guillelmus Grossus*, Regius quoque Amiratus, successit, Hujus hæredem, & filiam duxit uxorem *Henricus* N: anno MCCLXV. unde *Nicolaus*. Carolo Andagavense rerum in Sicilia potiente, *Melita* eidem cessit; mox Petri Aragonensis jussu Manfredus Lancea ad eam liberandam cum classe venit, commissoque cum Gallis navali prælio insignem de illis victoriam retulit. Tunc *Rogerio de Lauria Melitam* sub clientelam Petrus dedit, quo deficiente Fridericus II. Petri filius *Joanni* Infanti contulit, circa annum MCCCXX. qui Athenarum, & Neopatriæ Dux, Randatii Marchio, & Menarum Comes etiam dicebatur. Joanni decedenti *Fridericus* successit, quo paullo post patrem defuncto,

Digitized by Google

Petrus II. filio *Joanni* subdidit *Melitam*. Hic non diù anno MCCCLII. ætatis XIII. mortalis esse desiit; *Melita*, idcirco Regio demanio adiicitur. Per hæc tempora, Aloysius, & Joanna Neapolitani Principes, qui Messana occupata, sese Siciliæ Reges etiam dicebant, *Angelum de Carolis* Messanensem Vicarium anno MCCCLVI. *Melitæ* Comitem constituerunt, qui tamen insulæ dominium nusquam est assecutus; *Alagoniis* enim cesserat ejusdem Petri II. aut ejus filii Ludovici beneficio. *Luchinam* quippe *Alagonam Melitæ* Comitissam *Guillelmo Raymundo Montecateno* nuptam, insulam a parentibus acceptam dotis nomine marito detulisse invenio. Fridericus subinde III. Augustæ, & Melillis Dynastias Montecateno dedit, & sibi *Melitam* in commutationem vindicavit; *Matthæus* hinc Guillelmi, & Luchinæ filius anno MCCCLXV. & LXXII. ab eodem Principe commutationis hujusmodi literas novo privilegio firmas obtinuit. At Fridericus *Melitam* interim *Matthæo de Grua* primum; hinc *Rogerio de Flores*, mox verò *Manfredo de Claromonte* circa annum MCCCLVI. attribuerat; tandemque post decennium *Guidoni Vigintimillio*, Regio Vexillifero, a quo etiam revocavit; moriensque, anno MCCCLXXVII. notho filio suo *Guillelmo* reliquit. Post hunc *Jacobus Alagona* accepit, anno ejusdem sæculi LXXX; qui decennio post in Cataloniam ad Martinum, & Mariam Reges nuntium transmisit suum, ut in eadem possessione confirmaretur. At quum illi in Siciliam advenientes, infestos sibi Alagonas experti, eos bonis omnibus spoliassent, Raymundum Montecatenum Matthæi filium de se optime meritum *Melitæ* Comitem dixerunt. Mox huic, uti in *Artalis Alogonæ* favorem Comitatu cederet, persuaserunt. Artalis namque Acis arcem, & Paternionis opidum contra

Mar-

Martinum munita tenens, turbas fovebat, iisque tandem excedere promiserat, ubi *Melitam* accepisset; morem Regi suo Raymundus gerere cupiens, Insulæ *Melitensi* cum bonis ibi suis mobilibus, amnentisque anno MCCCXCCC. renunciavit. Demum Artale promissis minimè stante, ad primęva jura redit, & *Melita* rursus sequenti anno potitur, Nec diù ipsę quoque desciens, amplissimis dynastiis, & *Melita* privatus, vita tandem excedit. Tunc Martinus datis Catanæ literis anno MCCCXCVII. die XXX. Novembris Regio demanio, & Coronæ insulam aggregando, quod ab illis nullo usquam tempore disiungi possit, aut separari, mandavit. Huic statuto Alphonsus Rex subinde neutiquam stetit, & nostram *Melitam* Consalvo Monroi anno MCCCCXXVIII. vendidit. *Melitenses* hinc solutis XXX. florenorum millibus, ab emptore sese redimunt, sicque ad antiquum Regium demanium revocantur, amplissimo privilegio, quod nulla deinceps ex causa dari, aut vendi *Melita* possit.

Anno MCCCCLXX. Turcarum classis XVIII. armatorū millibus expositis, insulam non tantum vastavit, & veterem urbem dura obsidione aliquando pressit; Sed Apostoli Pauli, & Agathæ Virginis patrocinio, mirè tandem, barbaris infecta re abeuntibus, liberatur. Quū sequentis sæculi anno XXIV. S. Joannis Jerosolymitani Equites Rhodum amisissent, Carolus V. Cęsar, & Siciliæ Rex, sexennio post *Melitam* nostram in firmum, ac nobile feudum illis attribuit, cum jure gladii; Episcopi tamen sibi, & successoribus, nominandi potestate reservata, & censu annuo unius accipitris constituto. Præerat ordini, qui & Rhodum strenuè propugnaverat, Philippus de Villers Lisleedamus, qui Regio accepto diplomate, Syracusis cum suis solvens

vens, *Melitam* delatus, Insulæ Princeps inauguratur, & suburbium maritimum primò incoluit, ubi S. Laurentii Ecclesiam, paræcialem Conventus sui ædem præcipuam constituit, arcem munivit, ac mœnia reparavit. Adfuit anno MDL. cum classe CXL. triremium Senen Turcarum Thalassiarcha, & *Melitam* urbem veterem adortus, *Rabbato* potitus, rejectus tandem fœdè discessit; At novo longeque potentiori apparatu, rursus MDLXV. insulam Draguttus invadens, disjectis undique pagis, castellis, sacrisque ædibus, Suburbium in portu, & *S. Ermi* paulloante extructam arcem aggressus, vires exeruit omnes, uti in suam redigeret potestatem; sed ingenti animi virtute, pro focis, & aris cum cives, tum religiosi Equites irritos ejusdem conatus reddidere. Sicula demum classe adveniente, sub Garsia Toledo Prorege Turcæ in fugam versi, ac pene omnes ad internicionem confecti sunt; Dragutto Duce cum paucis evadente, atque obsidionis apparatum, in victorum manibus relinquente. Reliqua ad *Melitam* spectantia apud Scriptores, qui de eadem inclyta sacra Militia scripserunt, consulenda.

Sed jam postremo de Veteribus Monumentis pauca, Lector, ad calcem hic rejecta excipiat. *Junonis Templum*, inquit Quintinus, *non solum inter magna, sed etiam inter magnifica numerari potuisse arbitror, ex his quæ pauca durant, medio ferè loco inter opidum, & Castellum* (suburbium, hodiè Civitatem Victoriosam) *Ruina sparsa apparet, & in multa jugera, fundamentis, & substructionibus templi bonam portus ejus partem occupantibus, longe etiam in mari, in quo indædificatū erat, intra clivum promontorii, in planicie undique a ventis, & prævaltis rupibus defensa*. Hodie ibi fossa est, mari pervia, qua prædicta S. Angeli arx a suburbio

bio ad majorem firmitatem separatur. Ad id templum piratarum classis sub Africæ Regis Massinissæ Præfecto appulit, dentesque eburneos ingentis magnitudinis ibi dicatos subripiens ad Massinissam deportavit; sed ubi facinus Rex ille agnovit, dentes remittere Punicis literis hac epigrapha inscriptos curavit: Regem Massinissam imprudenter accepisse, re cognita, reportandos, restituendosque jussisse, uti Cicero Verr. iv. & Valerius Maximus lib. i. cap. i. referunt. *Erat præterea,* inquit ille, *in eodem templo magna vis eboris, multa ornamenta, in quibus eburneæ Victoriæ statua antiquo opere, & summa arte perfecta*; quibus tamen Verris avaritia non pepercit, fanumque illud, quod tanta religione semper fuit, expilavit. Herculis celebre aliud templum, ad austrinum insulæ latus situm, vicum habet sibi quoque adjunctum. *Herculani templi,* ait idem Quintinus, *immensæ adhuc reliquiæ patent, circuitu in passus ter mille, & ultra, in eo insulæ angulo, quem ob argumenta loci, patria lingua, Euri portum nominant: Marsa Siroc. Ima pars extat in plerisque lapidum longitudinis, crassitudinisque stupendæ.* Ibi hodie *S.* Gregorii Ecclesia, & turris specula haud procul. Subdunt, in eo fano Herculem dictum *Alexiacum*, seu malorum depulsorem.

Erant præterea *Melitæ* Serapidis, Proserpinæ, Apollinisque templa, quorum judicari situs nequit. Id evincunt numismata, quæ passim ærea circumferuntur; in quorum uno Junonis facies, & remi latitudo cum inscriptione ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. Vidit haud absimile Paruta. Extant apud Avercampum aliud cum Junonis vultu, quem modius exornat, & tripode, quod Apollinis insigne; secundum caput habet Herculis, & retro Equum; tertium figuram exhibet pileatam, seu mitratam, uti

Ridolfinus Venuti tradit, alis, pinnisque ad tergum, pedes, & coxendines, Isidem referentem. Epigrapha in omnibus eadē est. Ingens marmoreū sepulchrum ex Quintino memoravi, cū adscripto epigrammate, ubi vocē illam ΚΥΡ Cluverius interpretatur: *Cyrenensis*. Ego vero *Quirinam* Romanam gentem, sive tribum indicare censui, motus, quod Græcis, quum litera Q. non sit, illius loco Latinum vocabulum exprimendo, K substituunt. Gualterius lapidem profert: *Cesbastion. Aug. R. Prae. Insularum. Melitae. Gauli. Columnas. Cum. Fastigiis. In. Parietibus. Templi. Deae. Proserpinae. Vetustate. Ruinam. Imminentibus... Restituit. Simul. Pilam. Inauravit*. Prodiit novissimè lapis alius in quibusdam deficiens, quem a Francisco Agio Canonico Gaulensi, viro eruditissimo restitutum exhibeo: Munici*pi. Meli*tensis. P*rimus. Omni*um. Aram. *Itidem. Ædem. Marmo*ream. Apol*linis*. Consecravit. Itidem. *Pro. Pronao. Columnas. IIII. Et. Paras*tates. *Et. Podium. Et. Pavimentum.* Collo*cavit*. I*n. Quod. Opus. Unive*rsum. Libera*litate. Sua. H. S. CXDCCXCC. S*upra. *Q*uod. Omnium. Me*litensium. Desiderium. Ob*tulit. Op*eris. Conlatione D.D.*. Alii nonnihil diversum protulere, sed Agii lectio præ ceteris arridet. Elapsis quoque annis ex Villa Abela, hodie Societ. Jesu, duplex Inscriptio in basi duplicis candelabri e marmore albo salino, uti Agius vocat, iisdem pene characteribus expressa Phœniciis, Græcisque; cujus in Cortonensis Academiæ dissertationibus Tom. 1. diss. 2. ac Tom. 3. diss. 3. & apud Clariss. Gorium fit mentio defens. Alphab. Veter Tusc. qui illius echtypon adamussim descriptum a celebri Antonio Lupo Soc. Jesu *Melita* Florentiam trasmissum accepit, deditque Græcam sub Punica exaratam hoc pacto:

ΔΙ-

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΚΑΙ ΣΑΡΑΠΙΩΝΟΣ
ΣΑΡΑΠΙΩΝΟΣ ΤΥΡΙΟΙ
ΗΡΑΚΛΕΙΑΡΧΗΓΕΤΕΙ.

Votum eſſe Dionyſii, & Serapionis Tyrii, Herculi Archagetæ, Coloniæ ſcilicet deductori, ſive Navigantium Duci, videtur Claudio Guyot; quamvis Archagetæ nomen Apollini conveniat, cui in Tauromenitano littore ſtatua appoſita, navigantibus propitia. Punica porro ex Michaelis Fourmont lectione indicat: e Tyri portu ſolviſſe urinatores ad Corallium expiſcandum, appulſoſque, Lydam vaſtaſſe, ſeu occupaſſe urbem. Et Lydam tunc fortè ante primam Tyriorum coloniam *Melitam* vocatam ſuſpicatur Fourmontius ab Lydo Meoniæ Rege, Thyrreni fratre, qui in Italiam deſcendit. Videſis laudatas diſſertationes Claudii Guyet, & Michaelis Fourmont. Hæc ex eo firmantur, quod paucis ab hinc annis Corallii piſcatores in *Melitenſem* pelagum delati, uberem, copioſamque marini hujus fruticis collectionem ſunt nacti; quam olim piſcationem Tyrii primi omnium adorti, inſulam occuparunt. Enumeranda demum hic forent vetuſtatis monumenta *Melitæ* detecta, quæ laudatus alibi Agius in diſſert: 1. ad Punicum Meliteníe Vocabularium recenſet. Sed illa idem Agius dabit in Hiſtoria, quam molitur. De *Melita* cęterò prout Lexici patitur anguſtia ſatis. Legendi Abela, Quintinus, Niderſted, Freſcot, Ciantar, aliique.

MENAE Civitas *Jucunda*, Veteribus *Menena*, *Meneum* ſubinde, vernaculè *Mineo*, Græcis MENAI, ex Bocharto a Punica voce *Manaim*, quæ Militum caſtra ſonat, nomen ſortita; Diodoro, Ptolemęo, Appolodoro, Stephano, Vibio, Ciceroni, & Plinio nota, occa-

sum respicit æstivum, editumque montem occupat, cujus sunt amplissimæ radices, ab Eryce amne, hodie S. Pauli, aliisque fluentis ablutæ. Originis tempus incertum, quod ex Diodori verbis colligo; hic enim lib. 12. scribit: *Athenis summum Magistratum gerente Philocho, in Sicilia Ducetius Siculorum Rex, genere apprimè nobilis, & opibus plurimum illa tempestate pollens Menenum urbem condidit, colonisque eo deductis finitimum agrum distribuit.* Subdit verò paullopost: *Ex publico igitur Siculorum ærario magnis instructus opibus, Neas, quæ patria ejus erat, in æquum, & apertum campum transtulit, & prope fanum Palicorum urbem præclaram extruxit.* Vox illa *Neas* legitur Cluverio *Menas.* Si *Menæ* igitur Ducetii patria, ante Ducetium *Menarum* extabat urbs, ubi ipse nobilibus ortus fuerat natalibus; Hinc Philocho Athenis Archonte, Olympiadis LXXXI. anno III. ante Christum Dominum CCCCLIX. Menæ urbs a Ducetio ejusdem cive instaurata, & colonis aucta fuit, adeoque antea extabat, & Siculis civitatibus accensa, Siculos habuerat multo ante Ducetium authores. In æquum porro subjectum cāpum, ubi Palici Crateres, deductis e patria etiam colonis, Palicam condidit; Erycam, Trinaciam, aliasque Siculas urbes diù administravit, Quod si legitimam esse vocem *Neas*, & Netum Ducetii patriam velis, *Menas* verò aliud fuisse opidum a Nea; proinde eodem anno Palicam conditam, & Neam in æquum transIatam campum adstruis, meæ de *Menarum* origine conjecturæ corruunt, & Ducetius patria Netinus *Menarum* author fuit. Diodori textus cętero ad Cluverii mentem accommodatus congruentius loqui videtur; nec de sua excellentia, & vetustate Neto quidquam detrahit, uti suo loco reponam. Vixit *Menarum* opidum

dum suis legibus, ac post Siculos habuit Græcos incolas, uti complures numi cum epigraphe literis Grecanicis expressa satis indicant, in quibus etiam quum Ceres, Mercurius, & Apollo occurrant, profanis hisce numinibus *Menas* olim aras, & templa posuisse, eorumque sub tutela fuisse, inde eruitur. Fanum idcirco Solis in arcis hodiernæ ambitu olim situm evulgant.

Christianis temporibus, sacris B. Agrippinæ Virginis, & Martyris exuviis decoratur, quas Divino natu eò Romanę piissimæ feminæ Bassa, Paula, & Agachonica ex Urbe, ubi illa passa pro Christo fuerat, detulere. Excepit easdem Euprexia Matrona Menenina, condiditque in æde a se in Agrippinæ honorem extructa, ubi & alia Sanctorum corpora, qui sub Tertullo Siciliæ Pręside Martyrii coronam *Menis* meruerunt; quo seque, & filiam Theogniam post mortem inferri jussit. De hac S. Agrippinæ Ecclesia multa referunt, quæ illis primis Christianæ fidei sęculis prorsus non conveniunt, nec exequi, sæviente persecutione, fuit fidelibus datum. Crypta, in qua sacra pignora latent, in magna est hodie religione, & superstructum nobile templum Canonicorum collegio decoratur, de quo inferius. Agrippina etenim ipsa Divæ tutelaris, & Patronæ titulo gaudet, opidi scutum Castello insidens exornat, & miris adhuc prodigiis contra malignos spiritus, uti olim, inclarescit. Sarracenis subinde posteriori ævo arcem invadere conantibus eamdem Virginem evasisse terribilem, eosque aliquando in fugam vertisse tradunt; Sed *Menis* tandem sors eadem cum reliquis insulæ locis fuit, jugumque Sarracenicum sæculo Christi IX. subiit. In Urbani II. Diplomate Rogerii Comitis ævo, *Mauroneum* confine esse Diœcesis Syracusanæ legi. *Indeque tandem Mauroneum ascendit ad flu-*

men

men de Calthaelfar. Erycis fluvius, qui & Calataphari, sub *Menis* cursum agit, uti dixi, & ubi is in Bussaritum amnem illabitur, Catanensem Pareciam a Syracusana dirimit; hinc in Diplomate *Mauroncum* pro *Meneo* scriptum coniicio. Anno MCLXVIII. Alexander III. in aliis literis Ecclesias *Menea* ad Syracusanum spectare Episcopum dicit. Sub Aragoniis regii Sanguinis Principibus opidum obnoxium, Joanni scilicèt Infanti, qui *Minei* Comes audiebat, ad aliquot annos fuit. Friderico tamen III. qui *Menis* suas cum Constantia nuptias celebravit, ad *Demanium* spectabat, & *Reginali Cameræ* fuerat addictum. Gliscentibus hinc Siculos inter proceres dissidiis, Regiis partibus, ut plurimum adhæsit. Occupatum a Mattheo Moncada, ejusque fratribus Martini Regis ætate, mox restitutum legimus, tandemque anno MCCCXCVIII. in publicis Comitiis apud Syracusas coactis Regii juris effectum, & aliis cum opidis Reginæ usibus accensis annumeratum, qua sub clientela perseverat. Jam quod attinet ad situm, montibus sese offert innexum, in quorum clivo arx ex munitissimis pro superiori ætate surgebat; turres quippe illi erant in ambitu duodecim, triplex atrium, & in præcipuo, turris major octogona supra reliquas longe eminens, cujus supremæ concamerationes aulis, & conclavibus instruebantur omnimodam magnificentiam præseferentibus. Moles undique quadris lapidibus cõpacta, cujus hodie post annum MDCXCIII. ingentes reliquiæ perseverant, celebremque olim abunde demonstrant; hinc in Caroli Andegavensis Regesto illius custodia Scutifero, & militibus X. committebatur. Quod Ducetium Siculorum Regem authorem habuerit vulgus opinatur; forte eodem in loco stabat, ubi Rex ille, uti conspicui situs, ad *Menarum* tuitionem munimen-

mentum excitaverat. Mœnibus opidum circumscriptum extantes adhuc illorum ruinæ liquidò ostendunt, passim quippe, nedum rudera occurrunt, & portæ visuntur veteres IV. olim integræ nunc perditæ, una excepta, decurrente sęculo eleganter instaurata. Tribus constat regionibus Civitas, quæ a totidem sacris ædibus præcipuis, & parœcialibus, appellantur, mox recensendis; sed ima pars S. Augustini fundus vulgo dicitur. Sunt Ecclesiæ illæ sub S. Mariæ Majoris, S. Agrippinæ, & S. Petri titulo, singulæque post terremotum magnificentius refectæ, Canonicorum Collegio hodiè instruuntur. De iis Pirrus Not. 2. lib. 3. scripserat: *Prima Parochialis ædes major S. Mariæ olim de Græcis, nunc Majoris, quæ maximam redolet antiquitatem, sed ædificiis, & bonis anno circiter* MDXXX. *sub Clemente VII. aucta, & nobilitata est ab Antonio Buglione.* 2. *Parochialis, & Collegiata Ecclesia est S. Agrippinæ V. & M. Tutelaris, & Patronæ urbis. Id templum antiquissimum ab anno salut.* CCLXIII. *conditum fuit opibus nobilium feminarum Euprexiæ matris, & Theogniæ filiæ. & consecratum a B. Severino Epis. Catanensi anno* CCCXXXII. VIII. *Junii sub Imp. Constantino Magno; ibique ea die repositum est S. Agrippinæ corpus.* 3. *SS. Petri, & Pauli Apostolorum.* Hæc ille, cujus idcirco verba retuli, quod inter eas Ecclesias de Primatu contentio viguit. Tradunt enim diù alternis vicibus per annum majoris munia paræcias tres obire solitas, quarum principalis Parochus Syracusanæ Ecclesiæ Decanus ab anno MCCCXC. fuit constitutus. Quum verò Hjeronymi Bononiæ Episcopi beneficio S. Agrippinæ ædes Canonicis choro addictis cohonestata, jura super cęteras sibi deberi affirmaret, & Diœcesani Antistitis, necnon Romani Pontificis decreto illa obtinuisset, acri-

ter

ter duæ reliquæ id impugnantes, sæculi tandem xvii. initio, uti omnia ad pristinum revocarentur impetrarunt. Anno nihilominus MDCLIV. S. Mariæ Paræcia ab Antonio Capoblanco Collegialibus honoribus donatur; moxque S. Petro etiam eadem prærogativa accessit anno MDCLXX. ac jurgia subinde circa præcedentiam inter S. Mariæ & S. Agrippinæ alumnos exorta, inita conventione, dirempta sunt. Decurrentis sęculi anno XLI. Sedis Romanæ privilegio S. Agrippinæ primum, hinc S. Mariæ & S. Petri Canonici novis insignibus, ac vestibus decorantur, ac pristina idcirco dissentionum germina pullularunt. Res diù disceptata, Regis demum decreto, juxta olim firmatas conventiones, debitis honoribus unicuique paræciæ & Collegio attributis, anno MDCCXLVIII. composita remansit.

Sedet cętero S. Mariæ basilica ad boream, seu ortum æstivum sub arce, edito prę cęteris, hodieque infrequenti loco, ab anno MDCCIII. elegantissimo schemate instaurata, decentique ornatu exculta, cui alumni XII. sub Præposito, & *Dignitates*, uti appellant, tres quotidie inserviunt. Ferunt, quod dum recentis ædis substructiones molirentur, in veteres parietes, operæ inciderunt, quorum suprema pars solo novissimo respondebat; vetus hinc, & primis forte Christianis temporibus, Ecclesia longe depressior esse oportuit. In eo sacer ritus Dominica Palmarum ab antiquo tempore celebratur, Clero universo ac frequentissimo populo adstante. S. Agrippinæ supra cryptam, ubi Virginis corpus conditum, divitiis, & proventibus pro XIV. Canonicorum dote ab Joanne de Moles viro ditissimo aucta, editiori, quoque in loco ad hybernum occasum fundata spectatur. Crypta profunda est, xx. enim, & amplius gradibus aditur, & veterem e lapide aram

cum

Digitized by Google

cum loculamento ostentat. S. Petri demum præ ceteris compta, & ornata in urbe media assurgit, in qua sacræ supplicationes coguntur, & Alumni xii. sacris muniis intendunt. Ab hisce Pareciis singulæ urbis regiones, uti monui, denominatæ, publico foro respondent satis amplo, ubi Magistratus basilicâ, & magnâ viâ dirimuntur; continentque Ecclesias minores vi. Regularium domos iv. Sanctimonialium ædes duas, & Orphanotrophium. Claudit illa S. Agrippinæ Societatis Jesu Collegium Thomæ Guerrerii opibus a fundamentis erectum, ac pingui dote anno MDLXXXI. auctum, cujus Ecclesia cum æris campani turri insignis, opido decorem conciliat; necnon S. Benedicti Vetus Virginum cenobium situ conspicuum, in quo aliquando Sorores centum summa regularis observantiæ laude vivebant, eaque percepta Carolus V. Cæsar, dum in Sicilia ageret, largas illis eleemosynas impertiit; ac S. Catharinæ ædem. In S. Petri regione, Puellarum, quæ parentibus orbatæ sunt, claustra spectantur, ubi dudum S. Joannis de Deo stabat conventus; ac S. Michaelis Archangeli Ecclesia. In S. Mariæ Majoris denique sedem habent Minores Conventuales circa annum MCCCCL. constituti, situ, & ædificiis non ignobile asceterium incolentes; Minores item de Observantia, qui in S. Antonii Abbatis, ad jactum lapidis olim a pomœrio, ab anno MDCXX. degebant, subindeque in S. Mariæ de Odigitria prope portam ejusdem nominis, ædem occuparunt; Fratres de Mercede Reformati, quos in suam Ecclesiam S. Spiritus sodales sub elapsi sæculi exitum excepere, sed ab anno MDLXXXIV. Menis fundatos Pirrus dicit; præ cæteris autem Novum effulget sub S. Mariæ Angelorum titulo, & Benedictinis institutis monasterium ab anno MDLXXX: assumptis e Veteri Monia-

libus x. Joannis Baptistæ Jamlunæ viri pietate eximii, opera excitatum; minoresque S. Salvatoris, S. Margaritæ, S. Sebastiani, & S. Mariæ de Porta Ecclesiæ numerantur, in qua postrema celebris Menensibus, vicinisque accolis dies est festus cum nundinis. Extra mœnia Minoribus Capuccinis ad primum lapidem locus contigit anno MDXC. S. Mariæ de Gratia nomine; sed in S. Viti sub *Rabato*, seu suburbio, situ depresso, non multo post transiere circa solititium æstivum, aptamque professioni domum hodie incolunt. Memorat Pirrus S. Joannis de Deo domum, quæ defecit; Canonicorum S. Augustini hospitium in S. Crucis æde, ejusdem ordinis Messanensi Monasterio subjectum; tum S. Benedicti Prioratum S. Joannis de Suburbio, & S. Spiritus, illiusque vestigia, & templum adhuc sua ætate superstes in *Menarum* agro ad pass. M. II. alterius vero prope S. Agrippinæ integram ædiculam recenset. Sed de Sacris jam satis.

Meneninum Magistratum criminum Vindex, Jurati Patres IV. Syndicus, & Judices conflant; eademque urbi competunt privilegia, quibus reliquæ *Reginalis Cameræ* civitates gaudent. Jus habet in publicis Regni conventibus ferendi loco XXVI. suffragium, & gladii potestatem; Comarchiam constituit; quodque ad belli munia attinet, ab Instructore Calatajeronensi dudum pendebat, equites IX. pedites CIV. sub signis cogebat; Lares sub Carolo V. Fazello teste 1631. numerabat; sequenti vero seculo lar. 1336. incolis 5219. censebatur in Regiis libris, sed juxta Pirrum lar. 1766. civibus 6723. Anno denique MDCCXIII. lar. 1314. incolis 5540; & novissime 6000. constare dicitur. Ruralis fertilitas, & agri amplitudo omnia tribuit, quæcumque non vitæ solum adjumento, sed delectationi Na-

tura

tura largita est; Colles enim multa vite, oleis, & frugifera arbore vestiuntur; campi frumenti copiam insignem, omnisque generis frugem, olera, pascuaque pinguia sufficiunt, sylvę demum venationem ministrant idoneam. Naphtię lacus, sive Palicinus, ad septentriones vicinum inficit aerem; alter ad orientem hybernum *Catellarus* appellatus in collibus, limosus licet, haud tamen insalubris, sed ingentis est profunditatis. Irriguę cæterum aquæ ad reliquas oras terras fęcundant, arundineta per totam regionem celebratissima nutriunt, quorum unum in ęqua planitie in veteribus chartis memoratur. *Menas* ortu suo in cęlis decorarunt plures Sancti Martyres, qui sub Tertullo Sicilię Præside, eò confugientes pro Christi nomine, XXIV. Augusti, vitam amiserunt ex Cajetano. Euprexia item matrona vidua, & Theognia ejus filia *Menis* natæ, de quibus jam dixi, Siculis Sanctorum fastis adscriptę ex Cajetano, Perdicaro, & aliis. Simon Buccerius Societatis Jesu Coadiutor, diù apud Chium insulam Christiana sacra populos, magno Martyrii desiderio docuit; Panormum tamen regressus summa vitę asperitate optatam pro Christo mortem compensavit. Decessit ibi nam vulgari pietatis opinione MDXXVI. Ludovicus Buglio, eques primum S. Joannis, inde Societatis Sacerdos ad Sinenses Evangelii pręco designatus, per annos XXV. in ea provincia desudavit; Sagittis aliquando appetitus, divinaque virtute illęsus, post labores innumeros, ac libros Sinica lingua supra LXXX. de Theologia, & sacris Christianorum ritibus editos, quibus sapientiores Satrapas, & Manderinos ad Christum traduxit, in aula Imperatoris, II. Ottobris; anno MDCLXXXII. mortem lætus aspexit, regioque funere est honoratus. De eo Mongitorius, Albertus, Aghilera, aliique. Michael-Angelus

de Porturo Capuccinus, omnium virtutum gloria cũ Pirro clarus, obiit in patria MDCXXI. Vincentius Meligni Castrensis primum Episcopus, inde Hostunensis in Calabria designatus, Paulo V. Rom. Pont. ob vitę merita, & doctrinę pręstantiam charus, vivebat Pirri ætate; de quo Ughellus, Tafurus, & Nic. Coletti. Nicolaus Ballarò Syracusanę Ecclesię Decanus, sub Hieronymo Bononia Generalis Vicarius ejusdem fuisit. Antonius Flaminius, vulgo adscito nomine Biacander, Græcis & Latinis literis doctissimus, Poeta eximius, moribusque incorruptis satis clarus, Romę diù vixit, ubi summam de sua doctrina opinionem excitavit, merito a Pierio Valeriano omniũ ætatis suę sapientissimus, a Lucio Marineo ingenii admirabilis, vitæ integrę, & consuetudinis jucundissimę Vir appellatus. Obiit ibidem sæculo XVI. ineunte inter libros humi stratos, quos & ipse humi stratus legebat, perpetuo oppressus somno. Lucius Flaminius, quem idem Marineus, a scientia omnimoda inter publicos Salmanticæ Professores commendat. Franciscus Bertucius Ordinis Minimorum Theologus, insignis Concionator inter sui evi primos, & pietate illustris; memoratur Launojo, Pirro, Marracio, & aliis; edidit: *De Creatura supernaturali, ac de Conceptione Virginis*. Joannes Baptista Gianluno, Theologus, & Astronomus celeberrimus, Minor Conventualis, de quo Pirrus; & Cagliola. Placidus Nigidus Sacerdos, Orator, & Teologus, pręcipuo affectu in Deiparam clarus, scripsit *Mariologiam*, Thelogicas nempe de Virgine Quæstiones, *In Sacram Scripturam*, de *Eruditione Sacrorum Concionatorum*, aliaque; & MS. complura reliquit. Commendantur denique in Bibliot: Sicula inter Scriptores Alexander Palazolus Soc. Jesu; Franciscus Capuanus ejusdem instituti; Nata-

talitius Muratorius Sacerdos ab arte oratoria. A poeticis verò ſtudiis Joannes Leonardus; Michael Amedeus; & Michael Bontalucius.. Ducetius hic locum habere videtur, quem patria *Menenſem* Cluverius, & alii faciunt, Diodoro urbis Conditor, aut, deducta colonia, Inſtaurator. De eo in Hiſtoriis. Ducetii ſepulchrum paucis ad hinc, anno ſcilicet MDCCXVI. detectum evulgant ſub mœnibus, ubi olim Munimentum de *Gallia*, ad Hybernum occaſum, unde ad Minorum Capuccinorum Monaſterium eſt iter; idque ex loculi magnificentia, annulo, lucerna, phialiſque inibi aſſervatis deducunt. At Ducetius poſt Calactam conditam in ſeptentrionali inſulę littore, ibidem fato functus paſſim dicitur; neque ad *Menenſes* oras, quas ſibi Syracuſani vindicaverant, uſquam rediit; Loculus igitur alterius viri principis dicendus. Ejuſdem Ducetii caput referre aliquot Numiſmata non inficior; Nam Conditori ſuo, aut Inſtauratori, colonięque Deductori a civibus id honoris tributum ſępiſſimæ legimus.

Sunt porro *Menarum* Numi huc uſque detecti XII. quorum duo ex argento, reliqui ex ære conflati; hos inter duo ad Ducetium dubio procul ſpectant ærei; nam vultus habent viriles, victa regia ornatos, & retro currũ, ſeu bigas cũ inſcriptione ΜΕΝΑΙΝΩΝ. & litera Π. additur in uno ſub bigæ equis, qua forte Palicam a Ducetio etiam conditam indicare veteres voluerunt; in altero, pone Caput litera E. quæ Erycem deſignat veterem urbem, ad Ducetii dominium ſpectantem, uti mox dicam; Tertius, caput referens nudum, Ducetio quoque adſcribitur; ſed quid in averſa parte pilæ tres ſuperpoſito veluti baculo ſibi velint, incertum. Jam Argentei ad Cererem ſpectant, & Proſerpi-

nam

nam; binas enim ostentant faces, quas in altero illorum figura muliebris manibus præfert, in altero cancellatim appositas videmus. Cereri tres alii ex ære, facibus cancellatis tribuuntur, sed pone unius caput aratri signum, & supra frontem spica, agri ubertatem designant. Epigrapha eadem est. Exhibent duo Mercurium stantem baculo innixum, cui serpens advolutus; caput verò laurea insignitum Apollinis esse videtur. Caput Apollinis quoque, cum lyra, & caput Mercurii cum pileo alato, & caducæo satis indicant, cujus honori duo reliqui fuerint cusi. Quod autem literis illis Græcis *Palica*, & *Erix* urbes, *Menis* conterminæ exprimantur, non incongruum puto; idcirco enim plurali numero *Menæ* veniunt, quod scilicet tres olim urbes, veluti in unius societate coaluerint, & sub ejusdem Ducetii regimine, eisdemque legibus vixerint; vix enim bis pass. M. inter sese diffidebant. Quartam addunt *Trinaciam*, sitamque credunt ad hybernum occasum in collibus, ubi hodie diruti opidi reliquiæ visuntur *Camoti* agnominatæ; At enim *Trinaciæ* situm omnino incertum esse, & ad *Camotim* levi fundamento constitui alibi ostendam.

Menas Regii sanguinis principibus, titulo Comitatus, olim cessisse, jam supra innui. Hic eorum nomina recenseam. *Bartholomæus de Luci* Henrici Imper: consanguineus, de quo alibi. *Nos Bartholomæus de Luci Dei & Regia gratia Comes Paternionis, & Domini Regis consanguineus &c. donavimus filiæ nostræ Margaritæ, & hæredibus suis in tenimento terræ nostræ Minei feudum unius militis, quod fuit quondam Henrici Marsillaro*. Scripta hæc sunt Anno MCXCIX. mense Januario, Indict. III. Regnante Friderico Siciliæ Rege, subinde Imperatore. Id vero feudum Margari-

ta

Digitized by Google

ta constitutæ ab se apud Adranum S. Joannis domui hospitali Jerosol: attribuit, eodem anno. Habuit uxorem Bartholomæus Desideratam Gaufredi filiam; Hic Sylvestro Marsicano Rogerii Comitis Nepote progenitus fuit. Manfredi Regis beneficio *Manfredus*, & *Fridericus Malecta* anno MCCXLVIII. *Menarum* Comites dicuntur. Ex quorum primo, & Jacoba de Bonifacio postumus *Manfredus II.* anno MCCLXVII. prodiit, Comitatu insignitus, ut publico instrumento apud Pirrum cõstat; & in alio etiam de anno MCCLXXXV. *Menarum* Comes, Paternionis Dominus, Jacobæ matris jure, & Regius *Camerarius* appellatur. Hujus filia *Hilaria Malecta* Petro de Vico Romanæ Urbis Præfecto uxor data, sibi *Menarum* Comitatum hæreditario jure vindicavit; an Hilariæ hæredibus subinde cesserit, incertum; forte etiam ex ea proles nulla superfuit; Fridericus enim II. *Joanni Infanti* filio, Randatii Marchioni *Menas* attribuit; a cujus morte in Regis clientelam rediit, & Reginali *Cameræ*, uti ajunt, addicta remansit. *Claromontani*, qui sub Ludovico Rege, & Friderico III. Leontinos diù, & finitima opida usurparunt, nostrum quoque Comitatum invadere, ac pro libito administrare sunt ausi. Quibus a Martino Rege descientibus *Raymundus Guillelmus Montecatinus* illorũ bonis donatus, *Menas* pariter in potestatem accepit. Nec diù, & ipse deficiens opidum amisit; cujus aliquando arcis firmitate confisi Raymundi filii eidem Martino Regi obstitere, tandemque saniori consilio illa sese abditarunt. Nec mora idem Princeps in publico Regni totius consessu Syracusis habito *Menas* opidis *Demanialibus* accensuit, & *Reginali Cameræ* restituit anno MCCCXCVIII. Habet Longidinis gradus XXXIII. XX. Latitudinis verò XXXVII. X.

MEN-

MENDÆ. Vetus opidum inter Palatiolum, & Netum, haud parvi nominis; Stephano enim, & Apollodoro notum est. *Mendola* quoque a Littara, Pirro, & Fazello appellatum, & Sarracenis *Rabalbarenum*, cujus in diplomate Tancredi Syracusani Comitis, quo S. Luciæ de Neto bona enumerat, anno MCIII. habetur mentio. Prope erat Monasterium ejusdem S. Luciæ, cujus notitiam dedi cum in Monastica Siciliæ Historia, tum in hoc Lexico. Opidi extant vestigia in agro Netino, quem *Mendolam* appellant. *Juxta quod,* de Monasterio loquens Fazellus ait, *Mendola erat opidulum hodie jacens*. Pirrus de eodem Cœnobio: *Inter latos agros, & alia eidem attributa datus est viculus Sarracenico nomine Rahalbarenis, necnon quidam villani, reliquias, opinor, opiduli, quod olim Mendulam dictum legimus.* In proximo monte Luciam Romanam Viduam, & Geminianum martyrium fecisse sub Diocletiano, eorumque corpora Maximam honorificè sepelisse, uti locis citatis innui, tradunt; Et si Luciam, & Geminianum Romæ passos rectius alii scribant. Illustrem cęterò *Mendam* appellant, quod in ea LXXV. pro Christi fide coronatos fuisse ex Cajetano constat. Mongitore Polycritum Historicum, Medicum, & Poetam antiquissimum ex Laertio, & Mandosio *Mendeum* dicit, quem in Agrigentinorum castris aliquando meruisse affirmat, ac sub Dionysio Juniore floruisse. hodie Ibi Eremitarum est Domus.

MENDOLA Opidulum sub Northmannis. Vide *Menda*.

MENENSIS Fons. *Palicius* veteribus, *Menais* quoque, & *Menanikus*. *Menais*, scribit Vibius in Catalogo Fluminum, *Leontinorum*, quia tunc forte Leontinis subdebantur Menæ; *per quem cives ejus loci jurare timent*. ME-

MENETIDES Syracusarum portæ in Neapoli, *ab ædificii robore ita Græcis denominatæ*, inquit Fazellus, quæ Anapum fluvium respiciebant, Plutarcho in Dione.

MERUSIUM olim agri Syracusani opidum apud Stephani Epitomatorem, hodie incerti omnino situs; *Merusiam opidulum*, ait ille, *authore Theopompo Philip: Rer. lib.* 38. *Incolæ ejus dicuntur Merusii. Distat autem locus a Syracusis stadia* LXX. idest pass. M. fere VIII. *Merusiam* appellatam Dianam nonnulli perhibent, quia hic specialem cultum habuit.

MESEPE Casale in Platiensi agro, quod Henricus Policastri Comes S. Mariæ Vallis Josaphat Monasterio anno MCXIV. dono dedit cum adjacentibus terris.

MESOPOTAMIUM, Latinis *Interamne*, Opidum scilicet duos inter amnes, cujus *plaga* a Gela XX. removetur pass. m. In Antonini Itinerario: *Refugio Chalis* XVIII. *Plaga Calvisianis* VIII. *Plaga Mesopotamio* XII. Cluverius inter Scaramnim, seu S. Crucis fluvium, & Oanum, seu Frascolarum diruti opidi reliquias ex Fazello memorans, Mesopotamium ibi recognoscit. Ait ille Dec. p. lib. 5. cap. 1. *Huic oræ intus ad pass.* M. *in collæ ædis est quadrato structa lapide columnis subnixa, quem Sterium Pictum advocant, Templum priscis præcellens*. Subdit Cluverius: *Illud igitur templum veteris Mesopotamii vestigium esse potuerit. Steris* Sarracenium fortasse nomen est, Siculis usurpatum, quod Palatium, seu Ædes Magna sonat; hinc Claromontanorum egregia ingensque domus Panormi olim *Steris* appellabatur.

S. MICHAEL Opidum, *Cansaria*, & Sarracenis *Thanzaria*, a Calatajerone haud procul, idest pass. M. VI. ad occasum hybernū. Ex Pirro *Casale Græcorum*, quod ibi olim gentis hujus ex Epiro profusa colonia sedem fixerit; uti adhuc ex incolarum nominibus elucet; ab An-

tonio Gravina anno MDXXXIV. constructum, dicitur, nomenque a paræciali templo *S. Michaelis adeptum*, *quod dudum*, inquit idem Pirrus, *Gallorum fuerat fanum*. Nempe *Canzariæ* Feudum colonis frequens aliquando floruit, Gallorumque ætate id templum excitatum extitit; hinc in S. Guillelmi Siclensis Eremitæ gestis *Cansariæ* casalis memoria, ubi divus ille Panormo redux, ex longo itinere fessus, aliquando hæsit, & mira aliquot patravit, quorum extant adhuc monumenta. In tumulo igitur Agri *Cansariç* ad ortum vergente, non leviter prono opidum sedet, in cujus suprema ora Major Ecclesia, de qua dixi, devotissima Christi Domini e cruce pendentis imagine decorata. S. Mariæ Annunciatæ ædes Carmelitanis addicta, qui paupertate pressi recesserunt. Ab anno MDXXII. pro Reformatis Siculæ Congregationis Augustiniensibus S. Mariæ de Odigitria Ecclesia cessit, sed hi quoque hodie defecere. Quatuor cætero minoris notæ sunt Ecclesiæ, ubi Divinis populi intendunt. Subsunt hi Comarchiæ Calatajeronensi, & Episcopo Syracusano, sub quo Parrochus, & Vicarius sacrorum curam gerunt, sed civiles Magistratus Dynasta, juxta Regni leges annuos cõstituit, qui jure gladii gaudet, & in Comitiis votum inter Duces VII. profert. Aragonensibus in Sicilia regnantibus *Henricum de Altavilla Cansariæ* Dominum invenio in Regesto Friderici II. Sed in eodem *Gentilis de Padula* Calatajeronensis, ejusque hæres *Cansariæ*, & *Fabariæ* possessores dicuntur. Ex *Attardo de Padula* Guilelmi filio *Antonia*, & *Julia*; Illam Julianus de Timinia uxorem duxit, qui Martino Regi infensus, bonis privatur; Julia Joanni Aloysio Marano uxor effecta *Raynerium* peperit, cui Martinus idem *Cansariæ* feudum anno MCCCXCV. concessit. Hinc in Regesto de anno

no MCCCCVIII. Raynerii Mirani hæredes illud clientari jure fibi vindicabant. Margarita Raynerii filia *Friderico Perramuto* nuptui data, *Militiam* genuit, quam *Perelius de Motyca* Friddanis Baro anno MCCCCXLVII. uxorem tulit. Ex his *Agatha*, unde ad *Vaffallum Gravina Canfaria* devenit. Vaffallum nunc filium Agathæ ex *Carolo Gravina* Jacobi filio, nunc maritum, fuo more Philadel: Mugnos in Theatro Nob. evulgat, ex quo *Camilla* unica hæres, *Sancii* confanguinei conjux. Sedenim Sancius hic circa finem fæculi floruit; hinc alios interceffiffe conftat. Floruit quippe MDXXXIV. *Antonius*, qui opidum in ejufdem *Canfariæ* collibus inftauravit fub S. Michaelis vocabulo. *Sancius*, de quo dixi, Hieronymi Francofontis Marchionis, & Eleonoræ Isfar filius fuit, qui cum *Camilla Hieronymum Michaelem* procreavit. Hujus & Antoniæ Joeniæ proles fuit *Joannes*, primus S. Michaelis Dux a Pilippo IV. anno MDCXXV. renunciatus, qui Joannam Bonanno primis nuptiis fibi copulavit, cujus jure Linguægroffæ Princeps evafit, fed ea mortua liberis non fufceptis, Lucretiæ Migliaccio adjunctus *Hieronymum Michaelem* II. ex ea tulit, qui Catharinam de Requefcens uxorem habuit, & *Joannem II.* filium genuit. Fulfit hic Hieronymæ Xirottæ conjugis jure Montifvagi Princeps, & S. Elifabethæ Marchio, Regifque Catholici militiam fequutus, Hifpanis Magnatibus accenfus eft; Mariti obiit anno MCCCXXXVI. relictis *Hieronymo III.* Xaverio, & Michaele etiam militiæ honoribus perfunctis, necnon Joanne Cler. Reg. Epifcopo Pactenfi. Ex Hieronymo, qui a Regio cubiculo, ex XII. Regni Viris, aliifque muniis clarus, Catharinæ Moncadæ conjugii vinculis adftrictus, ad annum MDCCLI. vitam protraxit, *Joannes III.* hodie S. Michaelis Dux ex Magnatibus

Digitized by Google

Hiſpaniarum &c. Vivit cum Eleonora Neapoli ex Rahalſuttanæ Principibus uxore.

MICITE. Silio, ſed ex Cluverio *Motyce*. Nulla eſt enim apud veteres *Micites* memoria.

MIDOLUS Feudum in Melillis agro, ubi Saccarum conficitur, & mellitæ cannæ proveniunt. Ibi olim Turris terræmotu MDCXCIII. diſiecta.

MILICHIUS Fons. Plinius alibi laudatus: *Syracuſæ cum fonte Arethuſa; quamquam, & Temenitis, Archidemia, & Magæa, & Cyane & Milichie fontes in Syracuſano potantur agro*. Cluverius ſapore, & ſalubritate omnes Syracuſani agri præſtare aquas fontem hunc affirmat, & nomen ei quæſitum putat a Melle quaſi *ſuavis* ſit, atque *mellitus*. Situm verò illius indicans ſub Neapolis tractu, vulgo accolis *Piſmotta*, calamo ceſpitavit. *Piſmotta* enim ad Cyanem pertinet, ac longe a Neapoli diſtat.

MILILLIS Opidum. Vide *Melillis*.

MILITELLUS Opidum, quaſi *Militum Tellus*, aliis *Melitellus*, nomen a Melle ſumentibus, in Diœceſi Syracuſana, ſub Comarchia, Militarique Præfectura Leontinensi, in colle ſedet, qui ab occiduo ſole lacui imminet Leontino, ſubeſtque eminentiori tumulo ex eadem cęli regione a S. Cruce appellato. Pirrus *aſcenſu difficile, arduis, & ſaxoſis collibus circumdatum* deſcribit. Sedenim a ſeptentrionibus humiles habet tumulos coli aptos, ab oriente, & auſtro poſt convallem amœniſſimam, arboribus conveſtitam, qui circumſtant colles, lata planitie extenduntur, vinetis, oleis, gramine, paſcuis, frugibuſque ferendis aptiſſima. Occupabat olim collis latera ad radices uſque, ubi aquarum fluentum, ab ortu, & meridie, uti cryptæ, arcis veteris veſtigia, & domorum rudera evincunt, ſed bis

Digitized by Google

bis centum circiter ab hinc annis in ejusdem collis inæquali dorso, parumper ad meridiem prono, hodie assurgit, ad longitudinis gradum xxxviii. xxx. latitudinis vero xxxvii. x. De illius origine varia circũ feruntur. Recens appellat Fazellus opidum, Pirrus Northmannis adscribit, Petrus Carrera genticus scriptor sub Marco Marcello milites quosdam post captas Syracusas, militiæ vacationum petentes, eo devectos, novæ coloniæ in agro Leontino ortum dedisse scribit, & nomen inde quæsitum a *Militibus* affirmat. Nec desunt, qui seris temporibus Romano inclinante imperio opidi originem assignant. Ego conjecturis agendo putaverim mortales circa *Militellum* suas habuisse se des antiquitus; quod ex frequentibus cryptis, loculis, & sepulchris, ubi lucernæ, lacrymarum phialæ, & fictilia vasa deteguntur, & ex numis quoque Siculis, Consularibus, & Imperii in propinquioribus agris passim erutis, evinco. Defecit nonnihil sub Sarracenis; hinc circa annum MCCLXXXVI. Casalis nomine nuncupatum idem Carrera evulgat; sed novis mox incrementis effloruit, castrum cum Dynastæ ædibus in clivo, binasque paræciales Ecclesias habuit, & titulo *Marchionatus* meruit decorari. Castrum, seu Palatium jacet hodie, turpesque ab anno MDCXCIII. ostentat ruinas, nec nisi ex turribus una superest, quæ paucis ab hinc instaurata, publico usui deputatur. Porta succedit adhuc integra, & aulæ amplissimæ parietes hanc excipiunt, in qua copiosam instruxerat Bibliothecam Franciscus Brancifortius. Ex quadruplici denique fornicum ordine, quo moles assurgebat, atque ex muris soliditate præcipuis, nonnisi aliquot ad aquilonem rudera, & substructiones remanent. Ex duabus Paræcialibus, Prima, & præcipua, seu *Mater* S. Nicolao *Myrensi* Episcopo

copo, & Patrono ſacra contra Palatium ad auſtrum diù ſtetit, cum æris campani inſigni turri, veteri toti opido imminens, ſed terræmotu labefactata, quum in ruinas abiiſſet, recentis opidi pene centro magnifica ſtructura, elegantique fronte ſpectanda hodie ſeſe offert, ubi clerus ſub Parocho Divina decentiſſimè celebrat; alterius vero S. Mariæ de Stella, Opidanorum Patronæ Principalis, nomine inſignitę, ſub eodem palatio ad ortum æſtivum, in valle, integri ſuperſunt parietes, ad omnem elegantiam ab anno MDVI. conſtructi, uti inſcriptio docet, cum pronao columnis ſuffulto, & porta, variis Sybillarum ſimulacris, uti ætas ferebat, ſingularique artificio concinnata. Hinc turris ſubſtructiones ad aquilonem, ſcala ad occaſum, ad meridiem ſiniſtra ala, uti appellant, perſeverat, ubi ſacra Synaxis ex veteri inſtitutione peragitur, & prope hanc crypta in rupe impendente, quam a Spiritu Sāčto appellāt, picturis, & loculamentis diſtincta, juxta Græcorum ritus, in cęmeterii uſum, omnimodam redolens vetuſtatem conſpicitur. Nova tamen S. Mariæ baſilica in tumulo undique patens, circa hybernum occaſum, fronte ſuperbit eximia, ædificiis nobilitatur, nec vulgaris eſt ornamenti, imo præcipui, reliquas inter opidi moles. Sacellum in ea commendant, cum Dominici Natalis hiſtoria dimidii anaglyphi opera in argilla expreſſa. Huic etiam pars Cleri proprio ſub Parocho addicta, ſacris rite celebrandis intendit; Opidani enim promiſcue juxta familias hiſce Paræciis ſubduntur; nulli quippe ſunt unius, aut alterius fines, nec diſcreti vici; minoreſque, ſeu filiales Eccleſiæ, una excepta SS. Petri, & Pauli, extrema ad meridiem ora, ſub S. Mariæ jurisdictione degente, S. Nicolai Paræciæ ſuffragantur, quas inter ſub Divini Euchariſtiæ Sacramē-

ti

ti titulo nuper ædificata satis concinna effulget; tresque aliæ Laicorum sodalitatibus addictæ distinquuntur: Purgantium scilicet Animarum sub S. Viti nomine, contra quam ædicula S. Sophiæ ruinosa, prima opidi, uti tradunt, atque a Græcis primis incolis instituta; S. Mariæ de Catena, cui adnexum S. Crucis templum ad D. circiter pass. circa occasum in collis plano vertice extructum, ubi Christi Domini a cruce pendentis simulacrum sacro Parasceves die frequenti populo, & totius cleri supplicatione devotissimè colitur; ac S. Angeli denique, cujus sodalibus sepelliendi pauperes cura inest.

S. Benedicti Monasterium sub Casinensi Congregatione ejusque templum schemate, & ornamentis splendidissima, veluti totius opidi corona, ad aquilonem assurgunt. Fundavit, ac dote satis pingui auxit Joanna Austriaca Francisci Brancifortii uxor, in quo & Dynastarum sepulchrum, quod olim in S. Maria erat, idē Franciscus constituit, sacello addicto, Infantis Jesu subinde imagine miris prodigiis clara decorato. S. Dominici Cęnobium ab anno MDXV. Joanne Baptista Barresio authore in S. Agathæ Ecclesia primum; hinc in S. Mariæ Annunciatæ extra opidum, Joanne de Falco celebri ob vitę sanctimoniam viro agente, coaluit; tandemque in frequentiori loco anno MDCXII. construitur. Minores S. Francisci fratres Conventuales extra opidum in æquo amęnissimo ad ortum loco anno MCCXXXV. coloniam statuerunt, quam F. Paulus Venetus subinde instauravit. In earum Ecclesia marmorei Dynastarum tumuli e S. Mariæ templo, quod anno MDCXVII. igne labefactum est, translati, uti in illud S. Benedicti Casinensium, quod adhuc imperfectum tunc erat, inferrentur. Errat hinc Cagliola eamdem Ecclesiam Marchio-

num

num sepulturæ addictam asserens: Capuccinis S. Mariæ de Infirmis a Conventualibus haud procul, designata est ædes, & Catherinæ Barresię anno MDLXXV. opibus extructæ sunt cellulæ. In ara majori eximia tabula, Paladini opus; in cęmeterio F. Blasii de Calatanixecta, morum pietate conspicui, corpus requiescit. S. Francisci de Paula in amplissima area ad aquilonem S. Mariæ Annunciatæ relictam a Dominicanis Ecclesiam anno MDCXIII. habuerunt, nuper decentibus pro familia ædificiis auctam. Ad S. Leonardum in edito tumulo circa occasum incolunt Augustiniani Centuripinæ Reformationis ab anno MDCXXXI. qui olim, III. pass. M. inde procul, S. Michaelis Ecclesiam in regione *Gusarba*, Andreæ de Guasto Ordinis fundatoris opera, anno MDLXXXVIII. tenuerunt. Infirmorum denique domus cum adjuncta S. Antonii Ecclesia S. Joannis de Deo Hospitalarios fratres anno MDCXXIX. prope S. Mariæ de Stella excepit. Sacrarum Virginum Monasteria duo sunt: S. Joannis Baptistæ in extrema ad hybernum occasum ora, quod ante annum MCCCC. originem recognoscit. In eo Agatha Barresia, Dynastæ Antonii Perii filia, perpetuæ Antistitis munus tenuit, ac Beatrix Landolina Nicolai Specialis uxor decessit, cujus annulos, aliaque monilia Moniales adhuc servant. Alterum S. Agathæ ex conflatis piorum eleemosynis anno MDL. coaluit, auxitque ædificiis Carolus Caraffa Buteræ Princeps sub elapsi sæculi finem.

Est *Militelli* Ecclesiastici fori judex Episcopi Vicarius; Civicus Magistratus juxta insulę leges a Principe delectus populo moderatur. Dynastę vices Gubernator substinet. Opidi insigne Militem pręfert hasta et clypeo ornatum. Jus Gladii penes Marchionem, qui sextum in comitiis locum occupat. Lares sub Carolo V.

erant

erant 1923. incolæ 3730. Pirri ævo 1789. animæ 6103. in Regiis vero libris lar: 1492. incolas 5594. invenio. Anno MDCCXIII. lar. 1690. animæ 6416. & novissimè 6695. computantur. Ager fœcundissimus omnia ad vitam necessaria suppeditat; Oletis namque, vineis, segetibus, pascuis, & fructibus abundat, adeoque vicinis, ac remotis oleum præcipuum sufficit. Mala citrina, & aurea, & Summach fruticem ingenti quæstu præbet. Per circumjacentem regionem montana ostrea, conchilia, echini, turbinati, & cocleæ occurrunt, nedum rupibus hærentia, uti alibi per insulam, sed terris in aperto campo adeo immixta, uti potius aggesta, quam equoris olim reliquiæ videantur. Tulit opidum illustres viros Petrum Carreræ Poetam, & Historicum eximium, editisque operibus literario orbi notissimum. Obiit Messanæ senex anno MDCXLVII. Eum laudant Pirrus, Grossus, Vigintimillius, Ansalonius, & Labeus. Petrum de Angelis, & Baldanzam, qui Romæ diu vixit ab ingenii felicitate, & gravioribus literis commendatus. De eo Mongitore. Ignatium Gastonum. Hic Militelli ortus, & sacris undis Catanæ ablutus, Catinensis audit; quumque Juris prudentiæ operam navasset, emensis omnium honorum gradibus, S. R. Conscientiæ demum Præses evasit; variis ingenii, & profundę doctrinæ monumentis inclaruit, diemque postremum Panormi invenit. Laudat idem Mongitore Sebastianum Ragusam; Ægidium Tutinum Ordinis Prædic: S. T. M. eloquentissimum Ecclesiastem; Alphium Ursum Medicum, & Poetam; Joannem Baptistam Rubeum Medicum, & Philosophum; Marium Taurellum J. U. Doctorem, & Poetam non inglorium; Michaelem Ingastonum ex Minimis S. Franc: de Paula Theologum, Ecclesiastem, & S. Tribunalis Quæsit: fidei Censorem; Qui omnes editis in lucem operibus

claruere. De Francisco Brancifortio Marchione inferius. Vivit hodie Nicolaus Interlandus ex Principibus Bellaprimæ, qui variis dignitatibus auctus, Generalis Vicarius, S. Mariæ de Menis Præpositus, Prælatis Domesticis Apostolicis accensus effulget.

Superest Opidi Dominos ex ordine percensere. Occurrunt igitur primi *Alaymus, & Lanfrancus Leontini*, sive de *Sancto Basilio*, quos anno MLXXI. a Rogerio Comite *Militelli*, Oxinæ, & Yhadræ castellis donatos Mugnos affirmat. Hos excepisse *Alaymum de S. Basilio* satis in Siculis annalibus clarum non dubito, qui infœliciter periit sub Jacobo Rege. Idem Rex anno MCCXCII. *Bonifacio Camerana* castrum attribuit, cui *Joannes* filius successit; quamvis inter Bonifacium, & Joannem Mugnos idem *Obertum* reponat. Joannis donatione *Abbus Barresius*, ex Maria Sorore Nepos, anno MCCCVIII. *Militello* potitur, qui Petrapretiam etiam tenuit, unde in Censu Friderici II. ejusdem sæculi anno circiter XX. Abbus Petrapretiæ, & *Militelli* Dominus dicitur. Ex Abbone *Matthæus*, unde *Joannes*, qui duobus auctus filiis, Abbone, & Blasco hujus nominis primo, illi Petrapretiam, *Blasco Militellum* designavit. Post Blascum *Antonellus* sufficitur, Regis Martini beneficio anno MCCCXCIII. confirmatus. Sed huic a morte Blasci Abbus avunculus litem intenderat, sibi *Militellum* deberi postulans, moriensque Artali, & Hugonetto filiis jus suum commiserat, qui causa excidere. Antonellus idcirco in Martini literis *Militelli* castro, veluti ad Curiam devoluto, donatur. sed mox idem, quum Regi infensus evasisset, Regno exulavit, revocatusque anno MCCCCVII. jussus aliquando *Militello* abesse, in gratiam tandem receptus est. Hinc sequenti anno in Censu ejus fit mentio, quem

& Bu-

& Bucherio donatum quoque invenio. Duxit primis nuptiis Catharinam Specialem, secundis vero Luciam Montapertam, ex quibus *Blascum II.* Ludovicum, aliosque suscepit. Patre mortuo Blascus *Militellum*, & ab Ludovico fratre, aliisque Pigadacim, & Randasinum casalia habuit, de quibus suo loco. Ex conjuge porro Eleonora Speciali, Nicolai Proregis filia *Antonium Perium*, Nicolaum, Aloysium, & alios genuit, & huic ultimo Pidagacim, & Randasium attribuit, meruitque speciali Privilegio a Rege Alphonso MCCCCXLIV. confirmari. Ejus in marmoreo splendido tumulo extat elogium, a Gualterio in Siculas tabulas relatum. *Antonius Perius* cum Aldonsa Santapace improles, ad secundas cum Damiata Moncada convolavit nuptias, quæ ipsi peperit Petrum Paulum, Joannem Baptistam aliosque septem. De Aldonsæ miserabili casu rumor adhuc in vulgus personat. Obiit *Perius* sæculo XVI. ineunte; ex cujus filiis primus *Petrus Paulus* Margaritæ, Statellæ adjunctus prole caruit. Hinc ab ejus morte *Joannes Baptista* obtinuit. Hic cum Elisabetha Brancifortia primum, eaque defuncta cum Beatrice Vigintimillia matrimonio contracto, *Antonium*, Nicolaum, & Blascum, binasque feminas tulit, decessitque morbo ob animi mœrorem contracto in arce maritima Panormitana, insimulatus, quod Pirruchii Joenii Catanensis consanguinei fugæ consuluerit, uti Fazellus tradit. Ejus Primogenitus *Antonius III.* Catharinam Specialem sibi copulavit, ex qua Carolo, Vincentio; & aliis procreatis, mundo quadriennio post patrem eximitur, Messanæ in S. Dominici sepultus. Ex *Carolo*, & Belladama Brancifortia Vincentius, Catharina, ac tres aliæ oriuntur. Obiit *Carolus* MDLVII. Dynastiam idcirco *Vincentius* assecutus, primus *Mi-*

 li-

Digitized by Google

litelli Marchio, Rege volente, anno MDLXIV. est salutatus. Mox cum Dorothea Barresia Petrapretiæ Domina, Joannis Brancifortii nuper vidua, celebrato matrimonio, ipsis nuptialibus diebus, quum venationi in magna procerum, & nobilium frequentia nimium indulxisset, extremo morbo correptus, ætatis anno XVII. diem clausit. Cadaver e Lycodia *Militellum* delatum nobili sepulchro cum inscriptione est tumulatum. Post Vincentium igitur soror ejus major *Catharina Fabritio Brancifortio* Mazareni Comiti ex dote Marchionatū detulit; ex quibus *Franciscus*, cui mater *Militelli jura* ab anno MDCIV. cesserat, Serenissimæ Joannæ Austriacæ, Joannis Philippi II. fratris filiæ copulatus, tertius *Militelli* Marchio evasit. Fuit idem Petrepretiæ Princeps, florentique ætate ante patrem fato præreptus Messanæ defecit; cujus loco Joanna uxor pro filia Margarita biennio administravit. Non hic omiserim ab anno MDLXXI. per publicas tabulas varios sibi *Militelli* jura usurpasse, quamvis opidi dominium penes Marchiones esset, tandemque Catharinę Brancifortiæ cessisse, ex qua Franciscus filius habuit. Hujus porro cum Joanna Austriaca publicas nuptias Panormi celebratas in Auctario ad Fazellum descripsi. Laudant Franciscum ab eximia literarum peritia; humanis enim scientiis, Mathesi cum primis, ac Philosophia prędititus effulsit, nec divinas ignoravit, Gręcisque delectabatur, Militię quoque, & Mechanicæ studiis addictissimus, divitem sibi bibliothecam congessit, qua *Militellum*, ubi ortum habuerat, illustravit, & typographiam, edendis Eruditorum libris, prope illam instituit, complura denique ingenii sui monumenta reliquit, quorum superest opusculum de *Amore Honesto* Hispanico idiomate *Militelli* editum. Celebran-

brantur adhuc ejus corporis vires; alearum quippe fasciculum utroque pollice diffringebat, equinum ferfum manibus primo conatu inflexum, mox in partes dividebat. Jacet ejus corpus in S. Benedicti *Militelli* una cum Catharina, & Flavia infantulis filiis, Vincentio fratre S. Mariæ Novęlucis Abbate, & Antonio nepote ex Margarita filia. Hęc Friderico Columnę Paliani Principi nupsit, & a morte Fabritii Avi Buterę etiam Domina evasit; tandemque Romę decessit MDCLVIII. Joanna vero ejus mater Neapoli sęculi ejusdem anno XXX. mortale exuerat, in S. Pauli primum, inde in S. Marię de Victoria, quam fundaverat, translata. De aliis *Militelli* Marchionibus ubi de *Butera*.

MILLARIUM Casale, aliter *Millarinum*, quod prope Leontinos Gerardus miles Ecclesię Syracusanę attribuit, uti in suo Privilegio Tancredus Comes testatur, cujus etiam meminit Alexander III. in sua Bulla anno MCLXIX.

MILLIAS Fluvius, de quo Livius, vulgo S. Juliani, uti Aretius, & Leander tradunt. Dicitur Sarracenicè *Taddeda*.

MILOCCA Turris circa Syracusani portus oram occiduam, a qua nam longe *Dascon* sinus, de quo Thucydides. Non me latet universum portum Magnum penes aliquot Scriptores *Dasconem* dici, quod tamen ex Thucydidis & Stephani verbis non colligo. Vide *Dascon*.

MINACHUS Fluentum ex Fazello, sive Torrens, Scumę amni suas aquas inter Militellum, & Lycodiam adjungens; Scuma in S. Leonardum, sive Reinam influit.

MINANTE Fluvius Catanensis agri, & Leonti-

ni

ni, aliter *Binante*. Sub Palaconia ad ortum variis ex fontibus auctus, Calaxurę nempe, & Xarę, fundum abluit ampliffimum Calluram, cujus excipit aquas; mox illis Balneareę, & Sigonę quoque fibi adjunctis, haud procul a Bonvicino in S. Pauli, vulgo Gurnam Longam, illabitur.

MINEUM. Vide *Menæ*.

MINERUÆ Templum celebre apud Syracufas veteres, in ea urbis parte, quæ Orthygia dicebatur, ac fuperftes hodie integrum pene idem templum fervat, Deiparæ facrum, & maximum. De eo Cicero in Verrem.

MIRABELLA. Oppidulum. Vide *Imbacaris*.

MIRANDA. Fluvius, Veteribus *Orineus*, & *Orines*, Sarracenis *Burgibellufus*. Confule *Erineus*.

MISITELLUS. Lacus circa Pachyni oras, ubi complura prifcæ habitationis cernuntur cadavera in agro Burio.

MODICA Urbs. vide *Motyca*.

MOLINELLUS. Amnis idem ac *S. Juliani*.

MONACHORUM Cafale fub Menis, Monachis S. Mariæ de Gala ordinis S. Bafilii ab Rogerio Rege olim attributum, unde nomen invenit. Noviffimè fundus cum Ecclefia, prope quam Cafalis, & Monafterii monumenta cernuntur, Rammaccæ Principi ab Abbate fub cenfu annuo conceffus, fubditur.

MONGELINUM. Arx vetus in Monte Gryphone conftituta inter Menas, Aydonem, & Calatajeronem, celebris dudum, atque hodie deferta quidem, fed ædificiis pene integris fpectatu digniffima, rotundo enim ingentis ambitus fchemate in altum fefe fubrigens quadruplici concamneratione confurgit, quarum ultima plumbeis laminis, uti tradunt, tegebatur. Porta fublicio ponte ad internum atrium aperiebat aditum

tum, occurrebantque statim equilia spatiosa, cellæ vinariæ, & ad servandam annonam officinæ, nec cisternæ amplissimæ desiderabantur; scalæ denique & ipsæ ad superna ducentes arcis, magnificentiæ respondebant. An gens *Malecta* olim habuerit, cui Menæ fuere attributæ, & ante Malectas, *Bartholomeus de Luci*, qui sub Suevis etiam Principibus Menas obtinuit, subdubito; Sub Friderico quidem, a quo Malectæ defecere, *Blascus de Lancea* Ficarræ, Galatis, Longii & *Mongelini* dominus dicitur. Ex eo *Conradus Lancea*, qui Manfredo Claromonti minime adhærens, arce ab eo privatur. Refert Fazellus dec. 2. lib. 9. cap. 5. quo pacto ad Ludovicum Regem Arx demum devenerit, a quo frustra, Conradus, ut sibi redderetur, instantissime expetiit; *Andreæ* nihilominus *Claromontani* Manfredi hæredis ditioni *Mongelinum* redditum invenio, a cujus subinde defectione *Guillelmus Montecatinus* anno MCCCXCII. Regis Martini decreto cum Menis tenuit. Nec diu Raymundo etiam desciente, princeps idem *Henricum Statellam* ob præstitam strenuè operam in Catanensi contra Alagonios oppugnatione *Mongelini* arce, fundisque amplissimis illi adnexis donavit. Duos ille habuit filios, quorum minori *Bartholomæo Mongelinum* reliquit. Ex hoc *Joannes*, unde *Scipio*, cui *Hyeronymus* successit; hunc vero excepit *Scipio II.* quo sine filiis mortuo, *Mangelinum* ad *Herculem* ex Francisco Henrici primogenito genus repetentem, devenit. Catanæ Henrici hæredes ad seculi XVI. exitum perstitere, auctique Inspicæfundi Marchionatu, Panormum demigrarunt, Montis Gryphonis Principes mox dicti, & Villeauratæ; quem titulum novissime anno MDCCXL. Henricus Statella, & Mastrilli, Francisci filius obtinuit, & *Mongelini* Princeps est dictus. *Monge-*

gelinum cetero Magellam olim vetus opidum fuisse Fazellus, aliique evulgant, de quo superius. Novum in Mongelino agro opidulum superiori sęculo moliri cæptum, cujus spectantur initia haud contemnenda, vicinis adversantibus, progressum non habuit.

MONGIBELLISIS. Tumulus apud Syracusas in extrema Epipolarum crepidine, olim ab Atheniensibus munitus, & ab Dionysio Tyranno męnibus conclusus. Ibi Eurialus, & Labdalus veteres arces, de quibus actum.

MONS CLIMATIS. Tumulus inter Syracusas, & Sortinum opidum pass: M. VIII. ab utrisque dissitus, cum arce cognomine Fazello memorata. Spectabat ad *Guillelmum Montecatinum*, quo desciente, Martinus Rex *Conrado de Castello* Catanensi equiti dedit, qui in censu ejusdem Principis venit. *Nicolaus Specialis* subinde tenuit, ad cujus hæredes transiit.

MONS CRIMITIS. Vide *Lepas*.

MONS Gryphonis. Est in Mongelino agro, ubi arx, quam paullo superius descripsi.

MONS RUBRUS. Opidum hodie ad Motycæ Comitatum spectans, ab Dynastis olim Rubeis ejusdem instauratoribus nomen habuit; Mons Jahalmus enim, uti alibi scripsi, forte sub Northmannis, & *Lupia*, seu *Lupinum* Casale sub Aragonensibus dicebatur. Colli insidet ad ortum, & meridiem inclinato, duo inter fluenta, quę in unum a Monte Rubro appellatum coalescunt, & Dirillo sese immiscent. Sinistri porro aquæ copiosissimę sunt, pluresque molas sub opido convolvunt, alterius vero a fonte *Labrisi* ortum habent, de quibus infra. Veteris castelli rudera, opidique diruti monumenta sub novo jacent, quod ad supremum collis verticem, ubi S. Crucis ædes, se subrigit. Majus paroe-

Digitized by Google

parœciale templum decentissimum circa austrum ab memoratis castelli reliquiis haud procul, ad Deiparæ, in cœlum assumptæ honorem, Sacerdoti *Beneficiali* curam animarum habenti devinctum est; Fallitur hinc Pirrus S. Nicolai Episcopi nomini sacrum illud evulgans. Carmelitarum vetus cœnobium S. Mariæ de *Spasmo*, seu de Pietate circa eandem oram defecit, uti & illud S. Francisci, quòd utriusque redditus essent exigui: de quibus idem Pirrus. Virginis autem de Pietate statua perseverat, cum sacrorum ossium capsula a Nicolao Dulci Nicosiensi Episcopo obsignata. Illam etiam veluti peculiarem patronam sub eo titulo opidani venerantur, ac ritu præcipuo colunt. Ad orientale latus ab anno MDCXLIX. Minoribus strictioris observantiæ, vulgo Reformatis pia incolarum religio ædes excitavit, & congruis etiam subsidiis, S. Annæ Ecclesia attributa, illos auxit; sed opidi pene centrum sacrarum Virginum Monasterium occupat vetustissimum sub S. Benedicti institutis, & Virginis Annunciatæ nomine. S. Nicolai Ecclesia jacet, S. Antonii Abbatis, S. Joannis Baptistæ, quæ in extremo ad ortum sedent tumulo, Dei cultum fovent.

Clauditur *Mons Rubrus* in Syracusana Diœcesi, & Calatajeronensi Comarchia, ejusque opidani sub Siclensi Præfecto militantes in equis sex, pedites XXXV. procedebant. Larium numerus sæculo XVI. erat 487. animarum 2686. Sequenti lar. 673. animæ 2419. in Regiis libris; sed Pirro 743. & 2593. sunt computati. Census hujus sæculi fuit lar. 616. incolarum 2210. novissime 3861. Casale *Lupinum* in Friderici II. Regesto *Russo Rubeo* obnoxium dicitur, qui Henrici Rubei filius. Ex Russo *Henricus II.* quo authore Arx excitata, ac novi inducti coloni; hinc *Mons Rubrus* ca-

ſale eſt dictum; Henricuſque illius paſſim conditor habetur. Fuit idem Aydonis Comes, duxitque in uxorem Luchinam ex Claromontanis, Friderici Motycæ Comitis filiam, & dotis nomine Favaram Terram accepit. Ejus denique in Siculis Annalibus celebre eſt nomen. Nec minori gloria alter *Henricus* ſenioris nepos floruit, qui & ipſe opidum tenuit. Rebellaſſe circa ſeculi xxv. finem *Montes Rubrenſes* ſcribit in ſuo Capibrevio Lucas Barberius, & *Marietto de Alagona* idcirco caſtrum ceſſiſſe prodit, quo deficiente ſub Martino Rege ad Bernardum Capreram delatum tandem aſſerit; Henrici Rubei de Meſſana Aydonis Comitis literas Randatii die x. Septembris MCCCCVII. ſcriptas nihilominus legi, quibus in grati animi teſtimonium Caſtri de Monte Rubro in Bernardum, ejuſque heredes Henricus dominium transfert; id quod Martinus Rex ſuo calculo firmavit. Acceperat autem a Bernardo Rubeus Militelli in Valle Demana opidum, uti idem Barberius alibi memorat; hinc pleriſque ſcriptoribus mutua facta commutatio inter eoſdem rectius dicitur. Bernardum *Joannes* filius excepit, qui *Ludovico de Periglias* jura *Montis Rubri* vendidit; hujus idcirco primogenitus *Franciſcus* Beatrici Barreſiæ copulatus *Montis Rubri* dominus eſt dictus; cui Joannes Caprera litem intendit, opidumque soluta, quam acceperat a Ludovico, pecunia, anno MCCCCLV. ad ſe revocavit. Exinde, uti Comitatus Motycenſis pars *Mons Rubrus* venit, illiuſque miniſtris, & Magiſtratibus paruit. Ejus eſt latitudinis gradus pene XXXVII. longitudinis vero XXXVIII. Ager non anguſtus Jarratanenſi conterminus, fertilitate aliis non decedit, frugeſque, vites, oleas, cannabem abundanter nutrit, & aquis affluit. Marga in eo invenitur alca-

alcalica virtute prędita; occurrunt in colle aliquot vetustatis monumenta, sepulchra scilicet in saxo excisa, lateres, plumbeæ glandes, lucernæ, & id genus alia, antiquæ habitationis indicia. Fluvius, de quo supra, tres habet fontes, *Curuletti*, & *Praelis*, qui circa autlium scaturiunt, conjunctique *Cavardonis* fluentum excipiunt; Hoc vero e fonte *Laprisu* & aquis *Pantani* coalescit; augetur subinde Casalis Grandis fontibus, & ad locum *Paratoris* Dirillo fluvio sese adjungit.

MORELLUS Fluvius, *Amurellus* ex fonte oritur sub Artesino, qui mons est medius insulæ Siciliæ, dilapsusque per vallem *Arborum*, Calataxibettam, Ennamque ad sinistram relinquit; aliis hinc auctus fluentis falcato cursu decurrens, e Catana Panormum iter habentibus obvius, non semel traiicitur; tandemque inter Calatanixettam, & Petrapretiam, in loco angusto, qui Caput Arsum vocatur, ubi paullo post pons subrigitur magnificus, Salso fluvio sese immiscet.

MORGENTIA. Vetus opidum, *Murgentia*, de qua inferius.

MORIELLA. Salina ad Pachynum. vide *Mariella*.

MOSTRAGIANUM. Casale olim in Melillis agro cum ædificiorum reliquiis. Templum ibi vetustissimum in S. Martyris Phocæ honorem, quod terremotu jacuit; hujus est mentio in Actis Episcop: Syracus. ex Scobare.

MOTTA S. ANASTASIÆ. De ea in Valle Demana.

MOTYCA Urbs nobilis, opulenta, & frequens, vulgo *Populosu*, vetusti, & amplissimi Comitatus Caput; *Motya*, Mutica, & *Motuca* nonnullis, *Modica*

Siculo ore, & Sarracenorum ævo ad Martini usque tempora *Moac* appellata, a meridionali insulæ ora pass. m. VII. ac Pachyno promontorio XX. circiter dissidet. Ex *Motyæ* veteris urbis ad Pachynum ipsum reliquiis *Motycam* nostram ortum habuisse putant, Pausaniæ verbis innixi, verum quod Pausanias ingenti memoriæ lapsu *Motyam* ad Pachynum statuat, quæ ad Lylibęum surgebat, jam omnibus est incomperto; hinc Fazelli errorem in notis ad ejusdem Decadem primam animadverti, qui portui Langobardo circa Pachynum hærentia urbis disiectę rudera vestigia, veteris Motycæ fuisse opinatur *Motycæ* itaque author incertus, sed veteribus nomen dudum innotuit; hinc Ptolemæus *Motucam* Sicilię urbē memorat, & fluviū ab ea decurrentem *Motucanū* dicit.Plinio inde lib. 3. cap.8. *Motycenses* sunt opidani, & *Motyenses*, & in vetusto exemplari, Cluverio teste, *Muticenses*, quemadmodum apud Tullium Verr. 3. *Muticensis* celebratur ager, & Muticenses aratores a Verre vexati memorantur. Diodorus lib. 6. Dionem ab Heraclea iter Syracusas facientem Camerinenses, & Modinenses socios sibi adjunxisse scribit. Nullum autem subdit Cluverius, in Sicilia cuiquam memoratum est opidum Modina; Quumque Dion ex Diodoro in transitu Camarinenses assumpserit, & post hos *Modineos*, non alii hi videntur esse, quam *Motycæi*, corruptusque locus ille historici est dicendus. Concludit demum idem Author: apud Silium lib. 14. illud legi: *Et Netum, & Micite, pubesque liquentis Achæi*. Illos nempe populos Poeta enumerat, qui auxiliis suis Rom. Consulem Marcellum Syracusas obsidentem juvarunt. *Hic etiam*, ait, *corruptum vocabulum Mititæ, nulli alii unquam memoratum, corrigendum censeo in germanum Mutycæ.*

Quod

Quod situs veteris idem fuerit, ac ejus, quæ modo superstes a me describitur, non ambigo; binas quippe occupat valles, collem intermedium ac superiorem planitiem, utraque autem vallis amplissima sinuosis flexibus molles habet ascensus, & magni instar theatri duas aperit veluti civitates, torrentis alveo discretas, sed pontibus conjunctas. Collis verticem, qua respicit meridiem, arx occupat cum turri; sed longe, ac latè vertex idem extenditur ad septemtriones in planitiem leviter acclivem, quę civicis referta ędibus S. Joannis regio ab ejusdem Ecclesia appellatur. Arx itaque toti opido dominatur, muris amplissimis ingentis altitudinis ex imis collis radicibus munita. Porta ad occasum hodie, vetus enim ad aquilonem sita olim, obstructa, in late petentem aream aditum aperit, occurruntque S. Mariæ Ecclesia, & S. Cataldi, quarum prima parœcia erat sub Majore Sacerdote, ubi XIII. alii Divinis celebrandis officiis operam navabant. Aulæ porro laxiores ad Magistratus conventus institutæ, conclaves, officinæ, repositoria, armamentarium, equilia, cisternæ, carceres, qui extant, ex terræmotu sępius memorato veterem magnificentiam amisere, quoddam nihilominus gentis Claromontanæ, cui moles adscribitur ædificii, memorandum exhibent specimen. Præter arcem turres complures celebrat Caraffa, quarum nonnisi vestigia supersunt. S. Georgii princeps templum, quod ab iisdem Claramontanis fundatum Pirrus memorat, sed Northmannorum quoque ævo SS. Trinitatis de Mileto Monasterio suffraganeum veteres exhibent cartæ, anno MDCLIII. Alphonsus Enriquentius Comes instauravit, in vallis occiduę sinistro latere situ editiori undique superbit, Canonicorum Collegio ab anno MDCXXX. instructum; sub quo

sacrę

facræ ædes B. Joannis Evangelistæ, S. Mariæ de Catena, & S. Margaritæ, ubi Sacramenta incolis administrantur. Ad eandem cęli plagam loco parumper inclinato insignis S. Petri Apostoli basilica, jura parœcialia, & novissime Regis decreto alternis annis majores etiam habens prærogativas, assurgit, anno MDXCVII. Canonicorum cętu sub Archipresbytero ornata, subditasque S. Mariæ de Auxilio, S. Salvatoris & S. Pauli Ecclesias moderatur, ubi sacris populo conferendis intenditur. Hujus porro & S. Georgii ædificia columnis subnixa, prospectus, æris campani turres, atria, sacella, sepulchra, picturæ, suppellex, ornatus, mirè effulgent; Cives enim religiosa æmulatione ac studio illis promovendis intenderunt. In S. Mariæ de Bethelem, quæ decenter hodie extructa, a Cistercienfibus Monachis de Terrana olim tenebatur, ab anno MDCXLV. Canonicorum quoque coaluit collegium. Hęc sub arce ad austrum spectatur, ubi publici horologii opus. Ex ea veteri more supplicatio Corporis Christi procedit.

In ipso torrentis alveo pene medio Societatis Collegium anno MDCXXXI, Comitis, ac civium ęre fundatum conspicitur, structura nobile, cui Clericorum Seminarium sub Episcopi jurisdictione adjunctum. Contra pons alveum conjungit; Alveus vulgo *Cava* dicitur. Minoritanis tertii ordinis fratribus S. Joseph Ecclesia ejusdem sęculi anno XIII. data est in vallis superno latere occasum spectante supra S. Georgium; sed ubi vallis hæc aperitur circa septemtrionem Minores Conventuales ab anno MDLXX. claustra habent decentissima, eorumque S. Sebastiano Mar. sacrum est templum. S. Dominici elegans cęnobium anno MCCCXXI, originem recognoscit, sedetque inter occasum, & caurum

rum, a publico foro haud procul, ubi majoris, & minoris vallis fluenta in unum conveniunt, & ponte traiiciuntur. Ad eandem plagam Augustinienses Eremitæ sub S. Marci titulo anno MDCXXIII. constituti, & Carmelitæ, quorum fundationem antiquam Pirrus appellat, suas habent ædes sacras, congruisque gaudent domiciliis; Nec longe infirmorum abest hospitium, quod S. Spiritus in Saxia subjectum idem auctor evulgat, & S. Mariæ de Pietate titulo hodie insignitur. Minoritani Reformati sub S. Annæ nomine, conspicuo loco, ubi dexterum vallis latus ad ortum vergit, amplum ab anno MDCXXXIX. incolunt monasterium. In tumulo ad extremam urbis oram circa occasum S. Mariæ de Gratia, cui singulari cultu Motycensis populus addictus festum celebrat cum nundinis, celebris Ecclesia subrigitur. Prope hanc anno MDCLXX. claustrales a Teresianis relictas ędes Frates Mercenarii occuparunt, elegantioresque novissimè reddidere. Minores hinc Capuccini contra eosdem satis aptum, ac instituto respondentem, sæculi XVI. anno LXXII. publica impensa conditum, occupant locum. Circa superiorem ad ortum regionem post Castellum S. Philippi Nerii Presbyteris S. Theodori Mar. Ecclesia paucis ab hinc est attributa. Ubi quoque Carmelitæ Discalceati a S. Mariæ de Gratia olim migrantes, S. Teresiæ auspiciis extructa domo, excepti. Eminet Minorum Observantium asceterium post S. Joannis, de qua dixi, Ecclesiam ad I. lapidem Friderici Enriquez, & Annæ Capreiæ ejus uxoris opibus circa MCCCCLXXVIII. fundatum, in cujus sacello nobile Deiparæ Virginis colitur simulacrum. *In eo,* inquit Pirrus, *studium est amplissimum.* Equitum denique S. Joannis Jerosolymitani Commenda antiquitate, & præ-

stantia

Digitized by Google

ſtantia ſugget. Sęculo enim xiv. ſub Martino, ejus eſt mentio, alteri apud Randatium adjuncta Meſſanenſi Prioratui inter primas ſubeſt, & ab Ordinis presbyteris adminiſtratur. Nobilitant Opidum Sanctimonialium clauſtra numero ad ſex. SS. Benedicti, & Scolaſticæ vetus & illuſtre cum nobili templo in ima valle ad ortum. S. Marię de Commendata in collis latere occiduo recens, & SS. Nicolai & Eraſmi anno MDCXXXVI. in ſuprema regione ędificatum, ſub Benedictina regula. S. Tereſię inſtitutis ſubduntur S. Martini in eadem ſuperiori opidi plaga anno MDCLXI. & S. Franciſci Xaverii, in vallis minoris latere, in quo puellę parentibus orbatę Pirri ęvo, opera Petri Chivelli cuſtodiebantur, nunc Virgines ad profeſſionem admittuntur Sextum denique Sancti Spiritus nomine inſignitum, arctioris vitæ ſtudiis commendatur. S. Tereſiam dudum ſequebantur magiſtram, mox Carmelitarum pręceptis illius alumnæ parent, ſed non idcirco ab antiquis moribus decedunt. His accenſendum Virginum Ginecęum, & noſtra ętate conſtituta Domus contra Collegium, in qua pię fęminę nobiles, vulgareſque, ut Deo perfectè inſerviant, ſe recipiunt. Sunt filiales pręterea Eccleſię LX. circiter, unde ęqum de opidi amplitudine judicium liceat efformare, quod privatę nobilium quoque civium ędes majori ex parte ad omnem magnificentiam extructę exornant non tantum, ſed inter mediterranea nulli forte ſecundum reddunt. Non hic pręteream ſacram Beatę Virginis ædem in collis dorſo ad ortum, ubi ejuſdem Deiparę colitur imago prodigiis clara, anno MDCXV. eo in loco detecta, cujus meminit Cajetanus. Syracuſanę Diœceſi *Motyca* addicitur, penditque Epiſcopo veluti pro dote ſcutata MD. In Netina clauditur

tur Comarchia, & Siclensem provincialis militiæ Præfecturam agnoscebit. Stemma est illi Aquila arcem sinu complectens, Velleris aurei monili ornata. Magistratus Ecclesiasticus Episcopi vices gerens, sed ampliori potestate præditus; S. Georgii Præpositus, & S. Petri Archipresbyter pontificiis insignibus, & privilegiis gaudentes sunt Parochi. Civilis administratio penes Decuriones IV. & Sydicum, contra noxios vir nobilis jus dicit. His in foro non angusta est basilica. Ad Comitatus vero regimen Generalis Procurator assumitur. *Motycæ* preterea Gubernator designatur, cui sub serico pallio, custodibus adstantibus cum Centurione assidendi jus, & omnimoda gladii potestas competit. Ærario administrando Rationum Magistri, Fisci Patronus, Quæstor, & Conservator delegantur; oræ maritimæ Portus Magister invigilat; Juri dicundo Magnę Curię Consulares in lege periti, & Fiscus incumbunt, Appellationisque. & Tertii judicii tribunal aperitur; Logotheta, Magister Juratus, Ruris Quęstor, & Archiater ad se spectantia obeunt munia. Eodem denique ritu Motycę ex privilegio res agitur, ac in Regni metropoli totius insulę geruntur negotia; Idque Ludovicus Rex MCCCXLVIII. Claromontanis, Bernardo Capreræ Martinus, demumque Carolus V. Heriquetiis concessit, firmavit. Cautum quoque Principes volvere, uti equestris dignitatis insignia retinerent, atque assequerentur, quotquot supremis Reipublicę muniis destinari contingeret; hinc S. Joannis, & aliorum ordinum cruce, titulis primariis, & Dynastiis condecoratos innumeros recenset. Census fuit sub Carolo V. larium 3247. incolasque MDXCV. numerabat 15967. Sæculo sequen-

ti ex Pirro laribus 3586. capitibus 14443. constabat; sed ex Regiis libris MDCLII. lar. 3772. civibus 16098. Seculi hujus XIII. lar. 4857. cives 18975. computabat; novissime 20498. Qui sane numerus supra cęteras populo refertam prodit.

Illud observatu dignum, quod anno MDLXXVI. urbs ad menses aliquot peste afflata, civium circiter ad M. VII. anno MDCCIX. ex epidemica lue supra VI. M. exanimatos cujusque conditionis indoluerit, neque idcirco a veteri sua decesserit frequentia. *Motycæ* ager fœcundissimus accolas ad vitę commoda, & delicias necessaria sufficit; sed cannabis pręcipuè cultura rusticos occupat, cujus opera civibus inde ingentes quęstus pariunt. Ubi valles in ęquam planitiem statim post urbem sese extendunt, solum insigni pinguedine, & fertilitate singulo quoque mense olera nova præbet, centuplumque annuatim suppeditat; Vineæ, oleta, horti, fruteta, viridaria circa oram maritimã mira feracitate luxuriant, & suburbanis ędibus amęnissima habentur. Pascuis vero lætissimis regio universa cujusque generis armenta nutrit, remque pecuariam locupletat; hinc boves, & muli *Motycenses* longe præ aliis in insula celebrantur. Nec saltus denique desunt ad idoneam, copiosamque venationem, nec fluviales desiderantur piscationes.

Motycam illustriorem cives reddidere cum vitę, morumque integritate, tum dignitatibus, ac literarum peritia. Memorantur inter primos S. Deodata, quam tradunt martyrium Syracusis fecisse. Joannes Schifittus ex Ordine Minorum de Observ. qui eximiis clarus virtutibus Catanę in Domino obdormiit, ubi corpus requiescit Didacus ejusdem instituti laicus, columbina simplicitate

titate, moribusque religiosis præditus, qui multa, suamque mortem ex Pirro prædixit. Franciscus Oliverius Societ. Jesu in Brasiliæ Regno Evangelii propagator, Theologus eximius, ac vitę meritis illustrissimus - Didacus Ascensus Ord. S. Augustini, qui cum doctrina, tum eroicis virtutibus Matriti se commendavit; Episcopus idcirco designatus, dignitatem morte præreptus, non obtinuit. Placidus Caraffa S. Georgii Prępositus ab inculpabili vivendi genere notissimus. Petrus Cigala ex Prædicatoribus S. Theolog. Mag. nostris hisce diebus abunde doctrina imbutus, ob pręclaras virtutes adhuc in omnium ore versatur. Panormi sancte decessit nonagenario major - Oratius Aretio, & Zacco primis militiæ muniis fungitur; Tribunus enim, Turmarumque Regis nostri Generalis Pręfectus, vulgo *Brigancius*, ob rem apud Velitras egregie gestam hodie effulget, & Marchionis titulo decoratur - Carolus Janlongus Jurisconsultissimus Panormi diu floruit, ubi anno MDCX. dies clausit, relicto ingenii monumento sub titulo *Racemationum Juris*, de eo Pirrus, & Mongitore - Dominicus Oliverius humanis literis, Mechanicis, & Astronomicis artibus opido imbutus ex Mongitore - Hieronymus Rendaragusa Societatis Jesu plura scripsit, quibus literariam sibi rempublicam obstrinxit, celebraturque ejus *Siculorum Scriptorum Bibliotheca*. Lazarus Cardona Sacerdos J. U. D. Commentaria eruditis probata edidit in Sannazari Poema de *Partu Virginis*. Placidus Caraffa junior diu Romę in Sapientiæ Academia versatus, muniis in patria præcipuis perfunctus, *Motycam Illustratam*, & *Siciliæ descriptionem* publici juris fecit. Franciscus Mataracius Philosophus, & Medicus eximius *de Lue Epidemica*

mica, quæ circa MDCCIX. *Motycam*, vexavit, opus prælo commisit. Regina Jurata nobilis Virgo, in S. Benedicti Monasterio votis obstricta, Poetrix disertissima anno MDCLXXXV. piissime e vita migravit. Extant ejus *Documenta ad vitam religiose instituendam*, & Hieronyma Grimaldi, genere nobilissima, poeticis studiis delectata, publicæ luci donavit *Matronam in Parnaso*. Laudant Pirrus, Mongitore, Caraffa, & Ragusa. Didacum Salemium Ordinis Minor. Fabium Ascensum Societatis Jesu; Vincentium Ragusam ex Minor. Observ. & Albertum Leva Carmelitam, Ecclesiastes celeberrimos, & Petrum Sanmartinum, Josephum Moncadam, Medicos, & Philosophos eximios. Fabritium Portulevam, Josephum Cœlestem, Hyacinthum Salemium, Didacum Mataracium, Josephum Denarum, qui omnes opusculis editis, artisque peritia innotuerunt. Vivunt Cæsar Fiorviole, idest Xaverius Lorefice Musis acceptissimus, genere clarus, sacra, & profana eruditione conspicuus, & Joannes Michael Gallus Eques auratus, Comes Palatinus ab medicis lucubrationibus, *de Usu, & Abusu Lactis* præsertim celebris. Sed unus præ omnibus celeberrimus Thomas Campailla numerum absolvat, genere patricio natus, mentis acumine, linguę facundia, œstri poetici fęlicitate nulli secundus; Recentiorem quippe Philosophiam, quam sine magistro didicit, rhythmis Italicis summa facilitate explicavit; *de Motu Animalium*, deque aliis rebus, & naturę occultis arcanis, & prosa, & versu scripsit. *Apocalypsim* S. Pauli, ubi de rebus agit Divinis, pari ingenii præstantia vulgavit. Plura denique ad Medicinam, quam optime calluit, ac de Philosophia msta reliquit. Claruit Academiæ

Lon

Londinensis socius, aliisque literatorum cœtibus per Europam adscriptus, jureque alibi illum *Siculum Philosophum* appellavi. Mortalis esse desiit anno MDCCXL.

Primus *Motycæ* Comes *Gualterius* genere Northmannus, in Græcia, & Epiro strenuam Rogerio Regi navavit operam, a quo eo Comitatu idcirco donatus creditur, Hinc *Gualterius* ab hac Dynastia de *Mohac* subinde est dictus, seu de *Motyca*. Gualterii filii *Gaufredus* Vallis Netinæ sub Guillelmo II. Justitiarius, eidemque á secretis; *Raynaldus*, qui Templariorum militum domum apud Leontinos fundavit, *Aquinus* Regii exercitus in Apulia Dux; & *Gualterius*, Siciliæ sub eodem Guillelmo Thalassiarcha, qui omnes de *Motyca* sunt appellati. Sed ex his *Gualterio Motycæ* Comitatum obtigisse credunt. Mortuo Guillelmo Rege *Gualterius* Tancredo adhæsit, animum idcirco Henrici Cæsaris offendit, a quo bonis omnibus spoliatur. *Motycam* hinc gens nobilis de *Musca* obtinuit. *Riccardum de Musca* anno MCC. circiter memoratum invenio; cujus filia *Spes* Pauli de Cicala Colesanensis Comitis uxor dicitur. Huic ab Henrico *Motycam* in clientelam designatam, planum est opinari. Ejus filius *Fridericus Musca* Petrum Aragonensem, ad singulare certamen cum Carolo ineundum comitatus, ubi in Siciliam rediit, Neti Vallem rexit, quem *Manfredus* excepit filius. Hic Jaco bi Regis partes secutus, Friderico II. infensus evasit, quumque Andegavensibus subinde adhæsisset, paternis bonis excidit, ejusque soror *Livilla*, sive uti alii vocant, *Isabella Motycæ* Domina evasit, quæ *Manfredo Claromontano* nupta, huic Comitatum, detulit. Nec desunt, qui eidem *Manfredo* ab Friderico Rege attributum illum perhibent. Effulsit Manfredus muniis, divitiis, rebusque

que

quæ domi, ac foris præclarè gestis ad annum MCCCX, quo circiter tempore vita excessit, *Motycæ* in S. Georgii principe templo sepultus ex Invegio. Fuit idem Marchisiæ Præfoliæ matris testamento Caccabi dominus, & Friderici Regis beneficio Ragusæ etiam Comes. Ab ejus morte ad se Dynastias revocasse Fridericum in Censu Baronum, alibi laudato, invenio. Ad Curiam quippe Ragusam, *Motycam*, Ispicæfundum, Siclim, Clarum montem, Caccabum, spectare lego. Manfredi enim filius *Joannes* puer adhuc cum Infante Petro educabatur, teste Surita, qui non diu Eques creatus, bonisque paternis administrandis adhibitus Eleonoram Regis ex thoro damnato filiam in uxorem accepit. Legatus ad Ludovicum Cæsarem subinde missus, Marsici, Tricarici, S. Severini, & Marchiæ Anconitanæ Dominus creatur; Mox Regis animum offendit, & Roberti Andegavensis famulatui sese addixit, uti in Historiis. A morte subinde Friderici, regio Petri II. decreto ab omni absolutus libe *Motycæ* Comitatum, aliasque recepit ditiones, præter Caccabum Manfredo ex Claromontanis etiam, jam antea attributum. Anno MCCCXXXVIII. navali bello commisso, Sicula classis sub *Joannis* ducatu disiecta, ac Joannes ipse captivus abducitur, qui pro libertate obtinenda ingentem pecuniæ vim Roberto Andegavensi solvere coactus, *Motycam* Henrico, & Manfredo consanguineis venum dedit, nec multo post absque prole e vivis excessit. *Manfredus* itaque II. cum emptionis jure, tum Manfredi I. testamento; fuit enim Joanne seniore genitus, Joannes autem Manfredi I. frater, cujus filios heredes hic dixerat; tum denique Ludovici Regis privilegio anno MCCCXLIII. *Motycæ* Comes evasit, atque ex Matthia Ara-

gonia

gonia uxore *Simonem* reliquit, qui Venetiæ Paliciæ copulatus, Regibus suis, fermè quoad vixit infensus, uti rebbellis habitus, Messanæ tandem prole orbatus anno MCCCLVI. lucem amisit. Ejus loco *Fridericus* Infans *Motycæ* Comes audiit, ab anno MCCCLIII. ad LX. quo *Fridericus Claromontanus* Simonis patruus, Siciliæ Justitiarius, obtinuit. Duxit hinc in uxorem Constantiam Moncadam, cum qua *Matthęum* procreavit, Nari, & Ragusæ subinde Dominum, Regni Senescalcum. Ex eo, & Jacobella Vigintimillia Fridericus infantili ętate pręreptus, Agatha, & Constantia; Ad *Manfredum III.* idcirco Insulę Thalassiarcham *Motycæ* Comitatus devenit, de cujus parente variant opinionibus scriptores; sed ex Invegio in *Sicula Chartagine* videtur Joannis I. ex Manfredo I. orti, filius fuisse, sed illegitimus. Celebre *Manfredi* hujus in Siculis annalibus nomen; diu enim Regiis exercitibus restitit, & Leontinos tenuit, Messanam administravit, Melitæ insulæ, Caccabi, Castrinovi, Bicaris aliorumque opidorum comarcha evasit, tandemque Friderici III. privilegio, cui sese submiserat, *Motycæ* Comitatum anno MCCCLXXVII. obtinuit, & ab hujus morte unus ex Sicilię Vicariis extitit. Tulit Euphemię Vigintimillię adjunctus *Andream* amplissimę paternę ditionis hęredem, tresque alias filias progenuit, quarum unam, Constantiam scilicet Ladislao Neapolis Regi nuptui tradidit. *Andreas* Panormum moderandam suscepit, & Martino Regi infensus evadens, ejus jussu capitalem sententiam subiit, cum quo gens omnis Claromontana simul defecit.

Martini *beneficio Bernardus Caprera* anno MCCCXCII. die V. Junii *Motycensis* Comes constitutus, idemque Siciliæ Thalassiarcha, in historiis satis illustris, quum

quum suis popularibus minime acceptus evaderet; nam alii Claromontanis, alii Regio *Demanio* subiici postulabant, domitis tandem seditionis authoribus, nactus sequenti mense possessionem, Giaratanam, & Montem Rubrum rursus Comitatui adiecit. Magister Justitiarius subinde decimoquinto sæculo ineunte factus aliquando eidem Martino infensus fuit, necnon Blancæ Reginæ a Martino relictæ. Mox Ferdinando, & Alfonso acceptus anno ejusdem sæculi xxiii. mortalis esse desiit, & Ragusæ in S. Georgio, uti mandaverat, est tumulatus. Habuit ex Timbara Aragonia uxore *Joannem Bernardum*, quem dixit hæredem: Hic Violantæ de Prades Alcami, Caccabi, & Calatafimis in Sicilia Dominæ, adjunctus, Alphonso sese egregie commendavit ac varia ab eo privilegia obtinuit. Mox subditorum animos alienos expertus, Panormum Proregis jussu se contulit; reus ibi criminum actus, quod suos injustè vexarit, & regia aliquot jura usurpaverit, non levem pecuniæ vim pro mulcta pendere cogitur; *Motycanis* ob apertam defectionem debitis pęnis interim affectis. Tunc Yhomisū, Giaratanam, & Inspicæfundum vendidit, & in paterna ditione confirmari exoravit. Genuit cum Violanta *Joannem*, I. quem Joannæ Ximeniæ Vicecomitis Caramagnæ filiæ anno mccccLviii. copulatum *Motycæ* Comitatu decoravit, mortuusque, Ragusæ in S. Georgio contra patris sepulchrum jacet. Anno mccccLxvi. *Joannes* in possessionem inductus rexit ad Lxxiv. relictisque ex uxore Ximenia *Joanne II. Anna* & Isabella, *Motycæ* vita functus, in S. Mariæ apud arcem sacello sepelliri mandavit. Circa id tempus *Motycensis* populus contra Judæos imaginis Deiparæ Virginis con-

contemptores insurgens, trecentos sexaginta, ex illis promiscui sexus occidit; Prorex hinc Motycam veniens contra sontes vindictam sumpsit; sed multitudini pepercit. Nec diù anno MCCCCXXXVII. ætate adhuc minor *Joannes* defecit, atque ad *Annam* sororem Comitatus devenit. Hanc tot bonorum hęredem complures Regii etiam sanguinis Principes conjugem exoptarunt, sed *Fridericus Henriquetius* Aragoniæ Thalassiarcha tandem, anno ejusdem sęculi LXXX, Joannis Regis voluntate, obtinuit. Egregiè hic suis populis consuluit, pleraque extant, ejus, atque uxoris *Annæ* monumenta; & quum prole omnino carerent, *Annam Capreram* in Siciliæ ditionibus hęredem, *Aloysio Henriquetio*, ad quem amplissimæ etiam in Hispania comarchię a *Friderici* patrui morte spectabant, matrimonio adjunctam voluere, ac utriusque gentis Capreræ & Henriquetiæ Primatum instituere curarunt. Patrem habuit *Anna II.* nothum filium *Joannis I.* patri cognominem, matrem vero Annam Moncadam Ugonis Siciliæ Proregis sororem; *Aloysius* ex Ferdinando *Friderici* fratre ortum duxit. Horum nuptiales tabulas Methymnæ de Rosceo sub die Aprilis XXVI. anno MDXV. scriptas Ferdinandus Rex Catholicus *ex certa scientia*, *deliberatè*, & *consulto* die XIII. Junii probavit, legibusque supplendo, & impedimentis dispensando, de potestatis plenitudine firmavit. Hinc ubi senior *Anna, & Fridericus* vita cesserunt, *Anna* junior, & *Aloysius* Comitatus *Motycensis* possessionem in Sicilia sunt nacti, Carolo V. suis literis MDXXXIII. rem confirmante. *Aloysius II.* illorum filius Comes est dictus anno MDLXV. dum *Motycæ* ageret, reversusque in Hispaniam Annam de Mendo-

za uxorem duxit, ex qua *Aloysium* hujus nominis III. suscepit. Hic Victoriæ Columnę copulatus nonnisi anno MDXCVI. dynastias assecutus, per quadriennium administravit; relictoque sub Conjugis tutela *Joanne Alphonso* filio, sęculo XVII. ineunte lucis usuram amisit. Victoria novo opido in Comitatus ditione condito nomen dedit. Fulsit *Joannes Alphonsus* Hispani exercitus supremus Imperator, Sicilię Prorex, Legatus ad Pontificem, aliisque pręclaris muniis, tulitque ex Aloysia Padilia Uzzedę Ducis filia *Joannem Gaspari*, quem anno MDCXVII. moriens hęredem dixit. Hujus & Elvirę de Toleto filii *Joannes Thomas*, Aloysius, & Teresia fuere, quorum primus post patris obitum Comes constitutus, Philippo V. sęculi decurrentis initio infensus evadens, bonis omnibus, cum in Hispania, tum in Sicilia excidit, & patria extorris obiit. Hinc Comitatus diû sub eodem Rege stetit, per id etiam temporis, quo Dux Sabaudię regni potens fuit. Ad annum MDCCXIX. Tunc enim *Paschalis Henriquetius* Marchio Alcagnitius ex Aloysio Joannis Thomę fratre, & Teresia Almanza genitus, ejusdem Philippi V. beneficio dynastiam obtinuit. Hunc sine filiis vita defunctum *Maria* soror anno MDCCXL. excepit, quæ inviolato pudore in tumulum mox successit. *Maria Teresia* idcirco Alvarez de Toledo Ducis Albę filia, Joannis Gasparis Euriquetii pronepos MDCCXLII. Comitatum est assequuta. Ex ea & N. de Sylva, Mendoza, Comite de Gualves, ex Ducibus Infantadi Ferdinandus prodiit Albę & Huescar Dux, Carpii Marchio, Olivares, Montorei & *Motycæ* Comes, hodie variis aliis titulis clarus in vivis agens.

MUCASSARUM Salina ad Pachynum; vide *Mutaxarum*.

MU-

MURAGELLUM Casale, aliter *Murghellum*, quod Friderico II. rerum potiente ad *Nicolaum Lanceam* cum Giaratana, Oscina, & Ferula castris spectabat. Anno MCCCCVIII. juris erat *Joannis Montecatini*, qui & Ferulam tenebat.

MURATORIS Casale ad Syracusanam spectans Ecclesiam.

MURGANTIA. Vetustissimum in orientali Siciliæ ora opidum inter Catanam, & Leontinos, atque ex Cluverii mente haud procul Symethi ostio; sed juxta alios sub Leontinis circa hujus urbis emporium, quod hodiè *Aniannis* dicitur, situm, ubi Terias annis in mare influit. Celebratur Dyonisio Alicarnasiensi, Justino, Stephano, Diodoro, Straboni, Plinio, Silio, Ciceroni, ac Livio, apud quos *Morgentium* quoque, & *Morgantium* appellatur. Urbis origo satis antiqua est, ut quę Morgetibus adscribitur, insulę post Sicanos cultoribus. *Morgetes* quippe, ait Cluverius, *gens Italica una cum Siculis ex Latio quondam profectis, hanc circa Symethum amnem oram ad Herbitam usque urbem possederunt, quorum tamen nomen mox in Siculorum titulum transiit*. Strabo hinc lib. 6. de veteri illa apud fretum Siculum Italia, sive Oenotria loquens scribit: *Antiochus totam illam regionem fuisse tradit priscis temporibus a Siculis habitatam. Postea temporis Morgetes ab Oenotris pulsos in Siciliam trajecisse. Nec desunt, qui Margantiam a Morgetibus nomen habere asserant*. Et rursus de variis Sicilię incolis habet: *Manebant ad ea tempora, Siculi, Sicani, Morgetes, & alii nonnulli insulam incolentes, ac probabile est a Morgetibus Morgantiam fuisse conditam, quæ urbs hodie non extat*. Insignis ac munitissima erat Ducetii

Siculorum Regis ęvo; cujus autem generis, aut nationis ejus tunc incolę, incertum. *In Sicilia*, inquit Diodorus, lib. 11. *Ducetius Siculorum Rex Murgantiam, celebrem urbem infesto exercitu petiit, quâ expugnatâ gloriam haud vulgarem inter populares adeptus est.* Syracusanorum odio subinde Agathoclem ea urbe extorrem, *Murgentini* Patrię Pretorem primo, mox Ducem crearunt, Justino teste lib. 22. Nec diù factus ille Syracusarum Tyrannus, uti Diodorus lib. 19. meminit, adversum Herbitam expeditionem adornans, ex *Morgentina*, & aliis mediterraneis opidis milites conscripsit, adeoque tunc temporis Syracusanis parebat. Ubi Marcellus Romanus Consul classe in Siciliam venit, expugnatisque post Hieronymi cędem Leontinis, exercitum inde Syracusas ducere pararet, *ad Murgantiam*, ait Livius lib. 4. dec: 3. *naves c. habebat, quo evaderent motus, ex cędibus tyrannorum orti Syracusis, quove eos ageret nova, atque insolita libertas, operiens.* In eam, ejusdem Marcelli jussu, frumenti magna vis, & commeatus omnis generis convectus erat; Hinc Himilcon Pęnus, prodito a *Murgantinis* Romano Presidio, illa potitur. *Post profectionem Marcelli*, verba Livii sunt, *ex Sicilia ad Pęnos Murgentinæ desciverant terræ, secutæ sunt defectionem earum Hybla, & Magella, & ignobiliores quædam aliæ.* At Sicilię decretus Pretor M. Cornelius, civitates omnes, quę defecerant, ad deditionem redigens, *ex his Murgantiam Hispanis militibus in Romano exercitu merentibus ex S. C. attribuit.* Bello Servili in Sicilia exardescente, uti expugnatu difficilis urbs ab Diodoro lib. 36. describitur: *Magno igitur impetu*, inquit, Servorum exercitus sub Salvio Duce, *Morgan-*

gantinam munitam urbem repente adorti, variis, & continuis eam inpressionibus oppugnant; nec tamen capiunt. Rursus vero Romanis hostibus victis, in ejus obsidionem incumbentes sedè inde abscedere sunt coacti, uti in Historiis dictum. Tullius Verr. 3. Herbitensem agrum, Ennensem, Assorinum, Agyrinensem, & *Murgantinum* maxima ex parte relictum, Verris avaritia, memorat; Plinius quoque *Murgentinos* populos lib. 3. cap. 8. mediterraneis accenset; hinc quonam sensu Strabo sit intelligendus, qui ante Plinium scripsit; *Ea urbs quondam fuit, quæ hodie non est.* satis non dispicio. Petrus denique Diaconus seris temporibus Murgantiam a Sarracenis excisam prodit Christi sæculo VIII. Fazellus p. Decad. lib. 3. Morgetes *Murgantiæ* conditores ex Asia deducit, & Strabonis verba recitat: *Morgetes Rheginos Brutiorum agros cum Siculis primum incoluerunt*, ex quibus non ex Asia, sed ex Latio, unde Siculi, Morgetes profectos potius deducitur. In eamdem sententiam Aretius ante Fazellum *a Morgetibus Asiæ populis* scripserat, *ut erecta, ita a Carthaginensibus postea deleta.* Quod autem Carthaginenses exciderint, non legi. Refert Paruta æreum Murgantiæ numisma, cum laureato Apollinis vultu in antica, & aquila serpentem ungue ferente in postica. Pancratius novem hucusque collegit. Ex his duo in Catanensi Paternionio Museo asservantur, quorum unum Parutiano respondet; alterum argenteum formæ minimæ spicam exhibet erectam, & caput barbatum. Inscriptio est MOPΓANTINΩN.

Jam de situ contendit Cluverius, quod mediterranea *Murgantia* fuerit, & ad flumen Symethum, quod Teriam falso dicit Fazellus, & hodie *Jarretta*

ap-

appellatur. At enim alibi in Notis ad Fazellum eumdem, ostendi fusius allucinari Cluverium; nam ad *Murgantiam*, uti vidimus ex Livio, *classem navium centum habebat Romanus*; Quamvis autem Symæthus maximus Siciliæ sit amnis, classis triremium minime est capax, uti ille tradit, qui & Symæthum trajecit, ejusque alveum, an vel unica triremis subire possit, advertere debuit. Quod Plinius inter mediterraneos populos *Murgantinos* recenseat, ac Diodorus ex *Morgantina*, & aliis mediterraneis conscripsisse Agathoclem milites scribat, evincit sane municipia habuisse *Murgantiam* in mediterraneis, aut prope littus sitam posse Mediterraneis accenseri. Fazellus, qui maritimam dixit, & ad eum locum, ubi Leontinorum fuit emporium, hoc pacto intelligendus, quod haud procul littore, & Leontino emporio surgebat. Murgus enim id littus & emporium contingit, servatque hac nostra ætate nomen, quod ibi fuerit olim *Murgantia*; sed amplissimè circum extenditur, adeoque *Murgantiæ* mœnia fere continua Leontinorum mœnibus non fuissent, quod male opponit Cluverius. Denique Via *Murgantiam* ducens apud Diodorum juxta Agyrinum agrum, ubi Mago Pœnus castra posuit, *Murgantiam* prope Chrysam & Symæthum, ubi ager ille erat, haud quidem positam evincit; sed urbis celebritatem innuit, a qua Via dicebatur. Sic Panormitanam, Catanensem, Syracusanam appellamus, quia ad has urbes præ aliis illustriores, deducunt; sed nec Panormum, Catanam, aut Syracusas prope idcirco constitutas arguimus. Quid quod Silius canit.

. . . . . Non frondosis Morgantia campis.
Abstinuit Marte infido . . . . .

Pla-

Planitiem quippe eam, per quam Symæthus amnis versus mare defluit, arboribus adhuc hodie convestitam male inducit Cluverius. Et si enim frugifera, frumentique ferax sit supra quam dici possit, arborem nutrit nullam. Contra Murgi ager collesque frondosi optime a nemoribus, oletis ac cujusque generis arboribus celebrantur.

MURGHELLUM Casale olim. Vide *Muragellum*.

MURGUS Turris in agro cognomine, ubi olim *Murgantia* prope Leontinum emporium in extremo Catanensi sinu.

MURRA Stagnum seu Salina, illius enim aquæ in salem æstate convertuntur circa Pachyni littora ad meridiem. *Bernardus de Caprera* Motycæ effectus Comes sub Martino ejus erat dominus.

MURRUM Casale in agro Agyrino, quod anno MCCIX. Paganus de Parisio Hospitali S. Joannis Hierosolym: dedit.

MUSCARUM FUNDUS. Vide *Fundus Muscarum*.

MUTAXARUM Salina in ora Pachinensi, de qua Fazellus. Feudum ejusdem nominis, ubi Salina, juris erat sub Friderico II. *Nicolai de Lancea*. Martini vero ætate *Marinitti de Sortino*, uti ex illorum Censibus eruo.

MUTICA. *Motyca*, de qua supra.


MUXIMA Casale, quod *Guilelmus Vintimillius* cum Barcluno tenuit sub Friderico II. de *Barcluno* dixi. At enim quum in Capibrevio eundem Guillelmum Buxemæ & Barchini Dominum inveniam; hinc Muximæ & Barchunis vocabula corrupta esse in Regesto subdubito pro Buxema, & Barchino.

MY-


Digitized by Google

MYLAS Fluvius, Millias alibi; Hoc nomine Livius appellat aut Marcellinum, aut Yhadedam seu S. Julianum amnes inter Megaras, & Leontinos decurrentes. Vide *S. Julianus*.

MYTHON Hieronis Hortus præ Syracusarum mœnibus, Latinis *Fabula*. Vide *Fabula*.



Digitized by Google



APHTIA. Palicorum crateres, & lacus. Vide *Palici.*

NASSON. *Ortygia, V.* Syracusanum pars. Vide de ea inferius.

NAUFRIA Turris *Manfria*, in ora meridionali.

NAUFRIUS Fluvius Buteræ ab opido, quod præterfluit, appellatus, Nanfria Fazello, a Terra-nova, seu Gela veteri, VI. pass. M. sibi ostium in Africano mari aperit; cujus apud veteres mentio nulla; unde Sarracenicæ appellationis Goltzio creditur. Ortum habet ex Fazello paullo infra Buteram.

NAUNIS Mons sibi soli constans, pass. M. II. procul Platia veteri, ubi prostrati opidi, sed Fazello ignoti, magnum extat cadaver. Ex Anton. Verso Fridericus Rex solo æquavit, quod ejusdem Dynasta Joannes Barresius ab officio defecerit. Alii cum Cluverio in eo olim *Nonymnam* stetisse credunt, de qua inferius.

NAUSTATHMUS Portus, Vindicaris Fazello hodie dictus. Loca enim describens post Elori fluminis fauces, ac Fundi Muscarum, & Porticelli stationes, salinasque Caudæ Lupi, & Ruvecti, hanc quandam efficere peninsulam ait: *ad cujus ostium Phœnicus portus est Ptolemæo, Naustathmus Plinio, Vindicaris hodie; Machareusis proculdubio olim sinus, quem ejusdem nominis insula* V. *pass. circuitus progignit, quam illi ad austrum, africumque, ad tutelam naturæ objecit.* Advertit tamen Cluverius Ptolemæum Phe-

nicum in tabula locasse propè Helorum opidum, & fluminis cognominis lævam ripam; Plinium verò *Naustathmum* inter Syracusas, & Helori ostium; hinc Phœnicum Ptolemæi, alium a Vindicaris, & Plinii stationem ad Fontes Albos juxta Cacyparis fauces statuendam judicat, uti supra adnotavi. *Si verò* subdit, *Plinium suspiceris ordinem locorum transposuisse, quum portus iste Naustathmus esset idem, qui nunc sub Pachyno dicitur vulgo Vindicaris, certe ipsum vocabulum Naustathmus non portum, sed stationem tantum navium significat*. Atenim ad Vindicarim parvus quidem, portus, non statio aperitur. Est ad sinistram portus oram Emporium frumenti cum turri, de quibus suo loco.

NEA, Netum urbs, de qua mox dicam. Petrus Carrera *Neam* Diodoro memoratam Ducetii patriam in campum ab eo translatam aliam a Neto, & a Menis diversam adstruit; Nec Palicam inde vocatam, quam Ducetius idem condidit, ac quatuor idcirco diversas inducit urbes *Neam*, Netum, Menas, & Palicam. Sed ejus nutant conjecturæ; nec Diodori verbis firmantur, quæ aut corrupta, aut nonnihil confusa putantur.

NEAPOLIS Veteris Syracusarum urbis pars, qua ad agros, occasum versus, solemque occiduum æstivum illa vergebat; ita appellata, quod novissimè Tychæ, Acradinæ, & Ortygiæ adjecta fuerit, & mœnibus munita. *Quarta Urbs*, ait Cicero, in Verr. *quia postrema ædificata est, Neapolis nominatur, quam ad summam theatrum est maximum, præterea duo templa sunt egregia Cereris alterum, alterum Liberæ, signumque Apollinis, qui Themenites vocatur, pulcherrimum & ma-*

maximum.. Theatri rudera, gradusque lapidei adhuc extant, sed fana prorsus interiere. Indicat Thucydides lib. 6. ædificationis tempus, Olympiadis nempe XCI. annum II. & caussam: *Per eam hyemem,* inquiens *Syracusani quoque murum ante urbem tota ea parte, qua spectat Epipolas, inclusa intra Themenite excitarunt; ne si forte male pugnassent, qua parte infirmior erat urbs, circumvallari possent.* Apollinis signum Romam delatum, forte a M. Marcello, ex Svetonio discimus in Tiberio. Themenitis locus ignotus, quamvis veteris magnificentiæ vestigia per eamdem urbis partem non pauca pedibus terantur.

NEETUM, *Netum*, vulgari nomine *Noto*, quod Sarracenicè ex Cascino *Eminens locus* significat, Urbs vetus, ac inter Siciliæ mediterraneas nulli secunda. *Nea*, uti innui, ac *Noa* juxta Cellarium, & si Bocharto credimus ex Phœnicia dialecto *Neve Eten*, arduo idest loco posita habitatio dicta, *Ingeniosæ* titulo in Regiis libris decorata; a qua Vallis, ex tribus insulæ regionibus una, nomen habet; varios fortita est situs, hodieque ab anno MDCXCIII. in leviter declivi planitie sedet. Ejus est mentio apud Diodorum lib. II. & 23. Silium, Ptolemæum, Plinium, & Ciceronem, Siculisque civitatibus scriptores passim illam accensent, ante Ducetium, cujus esse patriam credunt. Stabat olim in molis vertice VI. circiter pass. M. levi ascensu dissitæ, uti Fazellus ait, ab secundo urbis situ; ubi pyramis, & veteris circumquaque ædificii monumenta spectantur. Ex hoc juxta eundem Fazellum Pirrum, aliosque Ducetius civis illam transtulit in collis plano jugo, ascensu difficilis, latera prærupta habentis, ac solo isthmo circumpositæ regioni ad-

P 2 jun-

Digitized by Google

juncti: Diodori verba, unde Fazellus, & alii id totum deducunt, hæc sunt lib. 11. *Ducetius Siculorum Princeps ex publico Siculorum ærario magnis instructûs opibus, Neas, quæ patria ejus erat, in campum transtulit, & juxta fanum Palicorum urbem insignem extruxit, quam ab dictis Diis Palicem nuncupavit.* Sedenim Cluverius eadem recitans, post illa Fazelli: *Sunt, qui parum advertentes Neam Meneum esse scripserunt.* Subdit: *Sane ignarus Netinæ urbis homo, si in campo eam quærere juberetur, ne ipsis quidem Netinis jurantibus hanc eam esse crediderit; adeo scilicet in rupe excelsa, ardua, & undequaque prærupta, ipso etiam Fazello teste, mœnia ejus sita sunt.* Mendosas hinc illas Diodori voces esse *Neas*, & corrigendas in *Menas* censet; uti superius retuli. Littara *De Rebus Netinis* Urbis topographiam exhibens, Ducetio patriæ transplantationem persuasisse, ait, loci naturam præruptis, & editis undique rupibus, altissimisque vallibus, unde dulcissimi fontes emanant, muniti. Quo novo delecto situ clariorem maris Jonii prospectũ, & faciliorem ad oras maritimas descensum fuisse assecutum, ac tutiora insuper collis propugnacula, qui nisi ab isthmo [moles enim peninsulæ formam reddit] nulli tum fuerat pervius. *Hic igitur, jecit prima Netinæ urbis fundamenta Ducetius, ut qui Menas in edito loco struendas censuit, patriam in humili solo, & facile obsidionibus obnoxio non pateretur; sectis, quadratisque lapidibus eam præcinxit; quemadmodum vetustissima monumenta, & aliqua adhuc vestigia visuntur ab Isthmo ad carcerem veterem... Forentia negotia in ea urbis parte agitabantur, quæ hodie via*

plana

plana nominatur, totaque fornicata deambulatur, ingentibus saxis fulta, & super præcipitem locum fundata. Patebat illic amplissimus circus, ubi theatra constructa, & gymnasia Philosophorum academiæ deservientia. Fazellum in rei testimonium, quædam literarum Græcarum fragmenta referre, subdit; Sed hæc Gymnasia ad corporum exercitationem instituta videntur evincere. *Ad Christianorum tempestatem, & paullo ulterius locus ille fuit urbi præcipuus; nam vetustissimum templum Divo Joanni dictum habuit, in quo antiquæ religionis vestigium baptismalis fons videbatur. Adaucta est urbs subinde prosperiori fato, populo fœcundior, & ad meridiem largiter protensa in cordis figuram, duobus collibus quasi humeris innititur; ubi verò veteris opidi limitem fixerant extremum, ibidem modo est urbis meditullium; longior quidem, quam latior; patet enim circuitu circiter* MMD. *passibus, non paucioribus* M. *in longitudinem producta, inexpugnabili quidem situ admirabilis, sic ab Aretio Syracusano commendatur; sic a Fazello pluribus in locis describitur, sic a Leandro Bononiensi collaudatur.... Huic naturali situs munimento addiderant veteres, & arces & mœnia, quæ paullo superius additis propugnaculis anno salutis* MDXLII. *fuerunt instaurata. Nostra enim ætate* (idest MDXC.) *mœnibus aliis, & publicis, privatisque ædificiis fœliciter accrevit, adeout plures* 3300. *laribus habitet; & majora potest etiam sumere incrementa, si in reliqua molis parte, quæ ad occidentem, atque ad austrum vergit, ædificatur.* Enumerat subinde sacras ædes, majorem Divi Nicolai vetustissimam pene in centro constitutam, a qua non longe Magistratus basilica, & Societatis Collegium surgebat, quod Littaræ ævo non dum erat fundatum; Christi Domini e Cru-

e Cruce pendentis, olim S. Mariæ Virginis a Castro appellatam, Jordani, Comitis Rogerii filii opus cum superba æris campani mole, S. Michaelis paræcialem, Cistercienſe S. Mariæ de Arcu Cęnobium ab Iſimbardo Rogerii Nepote conditum, Minorum Conventualium Divi Antonii Patavini incolatu contra iſthmum ad D. paſſ. S. Dominici ornatiſſimum, ſæculo XIV. inſtitutum, Eremitarum S. Auguſtini; Carmelitarum; ac denique Capuccinorum ad extremam orientalem oram, ubi Manfredi Alagonæ olim ſteterat arx, ſua ætate translatum Conventum deſcribit. Tum Sacrarum virginum cęnobia recenſet, ac præ cęteris parvam S. Eliæ Eccleſiam celebrat exiguo ſub loco quidem, ſed immanibus quadratis ſaxis fundatam, quæ primis illis colonis, ut illinc Pachyni littora proſpicerent, ſuper impoſitis ſine cęmento molibus, veluti ſpecula fuit; concluditque narrationem Arcis munitiſſimæ ad iſthmū deſcriptione, ſub qua duplex urbis porta, ab Jordano memorato cum Divi Georgii æde dudum conſtructæ, cui Petrus Infans majorem adjecit turrim. Crevit poſt delineatam a Littara topographiam urbs Collegio Societatis, uti innui, & adjuncto Clericorum Seminario; Minimorum Paulentium ædibus; S. Philippi Nerii Oratorio; Minorum de Reformatione, aliiſque Sanctimonialium clauſtris a Rocco Pirro memoratis, ac paullo poſt, perpaucis prius de urbis progreſſu delibatis, fuſiori calamo a me deſcribendis.

Ex Siculis itaque Civitatibus *Netum* quum eſſet, aliquando in aliarum ſocietate propriis ſub legibus vixit; Aſt ubi auctis Syracuſanorum rebus, Siculum regnum paſſim deficere, & Ducetio mortuo Siculæ omnes urbes, Trinacia excepta, iiſdem Syracuſanis adhære-

hærere cępissent, *Netini* his sese addicere e re sua ducentes, Græcis legibus deinceps vixere. Romanis hinc cum Pęnis de Siciliæ imperio primum decertantibus, sub Hierone Syracusarum Rege *Netum* erat; adeoque hujus potestati obnoxium remansit ex pacis conditionibus inter Hieronem, & Romanos initæ. *Remiserunt ei*, inquit Diodorus, *uti Syracusas suo sub dominio possideret, & urbes illis subjectas: Acras, Leontinos, Megarenses, Eloros, Netinos, Tauromenitanos.* Obsidente mox easdem Syracusas Marcello Consule, suppetias huic tribuere, uti Silius canit, & inter fęderatas demum Reipublicæ recenseri meruit. *Cur Tauromenitanis* Act: 5. in Verrem ajebat Cicero, *frumentum, cur Netinis imperasti, quarum civitatum utraque fęderata* est. Et postea: *Hæc Netinorum fęderata civitas publicè dicit*. Tunc porro *Netinos* jura sua contra Verris avaritiam defendisse, idem Tullius prodit, ac nedum frumenta, sed & pecunias, quas Prætor ille extorquere nitebatur, invicto animo negasse. Quonam tempore sacra Christiana susceperint incertum; at si vera sunt, & legitima SS. Luciæ Viduæ & Geminiani Mart: acta, Mendæ, quod erat *Netini* agri opidum, complures Martyres Christo Domino testimonium sub Diocletiano principe dedere, & Geminianus ipse cum aliis palmam est assecutus. Quæ satis arguunt, tunc *Netum* ejusque fines jam veræ Religioni nedum colla subdidisse, sed incrementi plurimum eam ibi dedisse, perque Ecclesiæ agrum abundè excultum segetes maturasse. Quid quod ad proximas *Neti* oras S. Hilarion Eremitarum pater appulsus, vitæ institutum in illis partibus, alibi ignotum, propagavit? Hinc circa Netum adhuc hodie præclara hæc

vi-

vigent solitarii cultus studia, & loca quamplurima videntur Monachorum secessui destinata. Sarracenis post aliquot sæcula Siciliam occupantibus, *Netum* illis ex deditione cessisse Littara & Pirrus tradunt, nusquam enim ob situs munitionem vi expugnatam urbem contendunt; *Notum* idcirco Barbaris dicta est, idest *Eminens*, obque ejus celebritatem una ex tribus Insulæ regionibus a *Neto* appellata. Perstitit sub Beneveri Syracusarum Principis dominio, quo, dum navali prælio cum Rogerio contendit, pereunte, uxore ejus cum liberis, & suæ gentis primoribus noctu Syracusis egressa *Netum*, veluti in tutiorem arcem confugit. Quumque sola hæc civitas reliquis jam vel vi captis, vel in fidem receptis, in Sicilia superesset, *Netinorum* præcipui, qui Christi fidem colebant, feminam hortantur, uti sibi ac suis provideret. Illa hinc omni destituta auxilio, in Africam ultro discessit, civesque missis ad Comitem Mylis agentem legatis, urbem dedidere. Gratulatus hic, quod bello, *Netina* arce accepta, finem imponeret, Jordanum filium eò destinavit, jussitque, uti validioribus propugnaculis, ad urbis verticem circa arcem excitatis, civium securitati provideret, & Christiana sacra instauraret. *Superest*, scribit Littara, *adhuc cum munitissima agerum, & turrium series, tum intra arcem Divo Michaeli dicatum templum ingentibus lapidibus, & columnis mira arte erectum*. Rogerius ipse non diù post, Majorem ædem in urbe, & alteram in agro Luciæ Viduę Romanæ excitavit, ubi illa condita dicebatur, quam tamen morte præventus imperfectam reliquit. Tancredus idcirco Syracusarum Comes Guillelmo Comitis fratre prognatus inchoato operi manum im-

imponens ab Epiſcopo Syracuſano illam dicandam curavit, & S. Benedicti Monachis ſub Gaufredo Pictavienſi attribuit, dote aſſignata, fundo ſcilicet ampliſſimo, & Saracenico Vico *Rahalbare*, quod vetuſto Mendę opidulo inædificatum evulgant: *Tancredus* hinc, ejuſque filius *Gaufredus* Montis Caveoſi Comes, ex Sylveſtro de Marſico natus, & Rogerii Nepos *Netum* cum aliquot Siciliæ opidis tenuit; quod natura, arte, & populi frequentia quum eſſet munitiſſimum Guillelmus Rex, Majonis ſuaſu per iniuriam ſibi vindicavit; dum autem regni potens eſſet Fridericus I. *Iſimbardus de Monregia Neti* Dominus evaſit, qui anno MCCXII. Ciſtercienſe S. Mariæ de Arcu Monaſterium cum uxore Cara à fundamentis erectum dote auxit pinguiſſima, & Nicolao viro Sanctiſſimo commiſit.

A cæde Gallorum varia *Neti* fortuna fuit; Roberto enim Caroli Andegavenſis filio Ugolini Callaris illius præfecti proditione, ſæculo XIV. ineunte ad aliquot annos ceſſit. Ex Pirro *Manfredus Lancea* anno MCCCXXII. *Neti* arce potiebatur. Verum in Friderici II. cenſu per id ferme tempus Ruſſum Rubeum jura Neti, & Aidonis habere invenio. Idem porro Fridericus, qui aliquando ſua præſentia *Netum* decoravit, ultimis tabulis *Guillelmum* filium Netinorum Ducem conſtituit; hic vero non diù poſt fatis cedens, *Joannem* fratrem Randatii Ducem ſuum reliquit hæredem, a cujus morte ampliſſimas dynaſtias filius *Fridericus* aſſecutus fato inmaturo deceſſit; ad Regium hinc Demanium rurſus *Netum* devenit, perſtititque, variis licet per Palicios, Claromontanos, & Rubeos exagitatum turbis. A Petro II. & Ludovico libertatibus, & exemptionibus donatum, mox Friderico III. civis ſui Joannis

Digitized by Google

nis Landolinæ virtute, animique magnitudine, egregiam non semel navavit operam; Artali Alagonæ, qui Regias tuebatur partes, constanter adhæsit, ac sub Manfredi Alagonæ administratione diù fuit, ad Martini usque adventum, cui sese commendans, variis ab eo beneficiis & privilegiis condecorari meruit. Hinc ille anno MCCCXCVIII. publicis Regni Comitiis inibi celebratis, quod Syracusis in Concilio decreverat, uti inter Regias urbes computaretur, sanxit. Verum Alphonsus *Netino* Ducatu *Petrum Infantem* fratrem suum auctum voluit. Restitit aliquandiu populus, id contra jus actum asserens, sed æquis conditionibus res composita remansit. Dux *Netum* invisit, variis gratiis cumulavit, & turris Majoris, quam vulgus Magistram appellat, ad arcis tutelam author fuit; sed muralis tormenti ictu, quum apud Neapolim dimicans florenti ætate sublatus esset, rediit urbs nostra sub immediata Regum potestate. Sub idem tempus Nicolaus Spejalis celebris *Netinus* civis Siciliam pro Alphonso summa integritate administrabat, cujus opera novis privilegiis urbs affecta, aut veterum confirmatione cumulata, non exigua gloria res suas auxit; nobiles hinc familiæ passim, ultra veteres, ad eamdem accurrentes frequentissimam reddidere. Tradunt tunc actum de Episcopali sede *Neti* fundanda, atque ad id Eugenii IV. Rom. Pont. Diploma emanatum fuisse, quod effectu caruit. Alphonsus porro, uti eisdem gauderet *Netum* prærogativis, quibus præcipuæ civitates fruebantur, inter alia indulserat; Regiosque Infantes *Netini* Ducis titulo deinceps donandos constituit. Hunc sequutus Joannes Rex gladii potestatem illius Prætoribus, novasque a vectigalibus inmunitates concessit.

Fer-

Ferdinandus, quod multiplici eruditionis laude cives commendarentur, attendens, *Ingeniosissimę* urbis titulum attribuit. Nec reliquos subinde Principes minori liberalitate *Netum* extulisse, ejusque felicitati prospexisse ambigendum: sed variis nihilominus subjectum cladibus, famis, pestis, & terræmotibus vel maxime, non levi jacturæ patuit, cum anno MDXLII, tum MDCXCIII. qui præ cæteris infestissimus illi accidit; totū quippe ingenti ruina die XI. Januarii concussum est adeo, uti alibi novum moliendum reliqui cives, ac Regni Consulares, supremo Regis etiam decreto, cogitarent. Veteris hinc civitatis hodie nonnisi quassata męnia, & propugnacula, portæ montanæ fornix, & turris Magistræ, de qua dixi, primę substructiones supersunt; ex aliis urbanis, sacrisque ædibus scissi muri, acclinati parietes, fornices ruinosi, viæ ruderibus occupatæ, moles dirutæ inaccessæ, præruptæ, tristesque demum ruinæ videntur.

De novo deligendo situ variè disputatum ab anno enunciato elapsi seculi XCIII. ad MDCCIII. tandemque in feudo *Meti* (an sano consilio, hic non vacat discutere) opportuniori veluti loco, solum in parte superiori planum omnino, & æquum, leviter deinceps declive, & ad meridiem pronum, ubi humiles aliquot casæ passim creverant, angusti lares, tuguria, & ligneæ Ecclesiæ surgebant, recentis urbis jaciendis fundamentis decretum est; quod aere gauderet temperato, uti dictitabant, quod ventis afflaretur saluberrimis, aspectus jucundissimi esset; inde enim subjectum mare & agri amęnissimi deliciæ patebant. Hic igitur a maritima ora pass. M. III. a *Neto* veteri V. M. ab Assinari fluminis ripis M. ad longitudinis gradum XXXVIII, XL. rectis, amplisque viis *Netum* sedet,

ædificiis nobile, paucisque in Sicilia decedens. Et prima sane, quæ extenditur ab ortu ad occasum, laxior via, post aliquot passus ingens ducit in forum, cujus australis lateris medium princeps templum Divo Nicolao sacrum tenet. Id adhuc imperfectum, Ecclesiastico Canonico cętu ab anno MDCIX. decoratur; Caroli Giavanti Buxelli Baronis opera, & Pauli V. decreto. Sunt autem Alumni XIV. quibus IV. alios Roccus Pirrus suis sumptibus addidit, sub Præposito, urbis totius unico Parocho. Ibi S. Conradi Eremitæ corpus argenteis clausũ thecis præcipuè colitur. Quod enim ad annos pene XL. *Netini* agri fuerit incola, & variis beneficiis cives devinxerit, Divus est tutelaris, & si Patroni titulum S. Nicolaus præferat. Contra majorem Ecclesiam civilis consilii basilica respondet, magnificè molienda, uti ejus produnt initia, substructiones scilicet, scalæ, aulæque inferiores. Ad sinistrum fori ejusdem latus insigne Monialium cęnobium S. Salvatoris subrigitur, de quo inferius; reliquæ vero fori facies variis nobilium civium ędibus superbiunt. Eamdem subinde procurrenti oram forum venale se offert ab austro ad aquilonem latè protensum, cui quatuor amplę respondent vię, omnes, æque splendidis procerum domibus, utrinque assurgentibus, spectatu dignæ; Has vero in fori centro magnificus e Ligustico marmore fons statuis decorus excipit. Hinc juxta soli indolem opidum elevatur, excepitque superna ædificia æqua planities, quam viæ amplæ, & rectæ ad rectos etiam angulos pene totam dividunt, forumque illius medium Christi Domini e Cruce pendentis Ecclesia decorat, ob egregium, & multis prodigiis clarum ejusdem simulacrum frequentissima, & singulari cultu vicinis etiam populis celebris, De eo simulacro meminit Cajetanus & in S. Marię de Castro olim locatum

catum

catum dicit. Collegium ibi Canonicum, Archidiacono, & XII. ſociis inſtructum Eleonora Ponsleonis Terzanæ Dynaſtę conjuge ſtipem tribuente anno MDC. coaluit, & ſacra incolis in eadem planitie habitantibus exhibentur. Sunt præterea per urbem reliquæ parœciæ tres S. Spiritus ad ortum, S. Michaelis ad occiduam, & S. Mariæ de Rotunda ad auſtralem regionem decenter extructæ, quæ antiquis in veteri opido extantibus reſpondent.

Jam ſacræ religioſæ ædes, quæ urbi haud exigui ſunt ornamenti, hoc ordine diſpoſitæ ſpectantur. Societatis Jeſu Eccleſiæ, Collegii, adjunctique Clericorum Seminarii proſpectus perpulchro concinno ſatis ordine inter utrumque forum ad ſeptentriones obverſus aſſurgens, primas obtinet. Carolo Giavanti Buxelli Domino, quem laudavi, anno MDCVI. Collegii fundatio adſcribitur; Ephebeum XXIV. alendis alumnis deputatum elapſi ſęculi medio Petrus Raguſia bonis ſuis attributis, inſtituit. Eccleſiam noviſſime Joſeph Antonius Requeſens Epiſcopus conſecravit. S. Philippi Nerii Oratorium ejuſdem ſęculi anno XIV. ſub S. Catherinæ titulo, a Michaele de Agnoſſa, & Antonino de Caſtellis ortum recognoſcit, ſitumque parumper elevatum ſupra forum venale ad aquilonem occupat; ſub quo Clericorum infirmis miniſtrantium nuper erecta domus videtur, Rogerio, & Dominico Landolinis anno MDCCXLII. authoribus. Humiliori loco meridiem verſus S. Mariæ de Arcu Ciſtercienſe Monaſterium inſpectionem meretur, cum decentiſſima Eccleſia, in cujus Sacrario B. Nicolai primi Abbatis pene integrum colitur corpus. Illius author Iſimbardus de Monregia; de quo Littara, Pirrus & Ego in Monaſtica Siciliæ Hiſtoria. Deiparæ Annunciatę templum

S. Do-

S. Dominici ascetis attributum fastigiato opere ad austrum in foro venali assurgit, cui cœnobium publicis ordinis studiis destinatum adhæret. Extabat seculo xiv, virosque omni ætate protulit celeberrimos; Et in eadem regione paullo infra, fratrum S. Mariæ Montis Carmeli, strictioris nunc observantię, uti appellant, ædes conspiciuntur, cum adnexa Deiparę de Gratia Ecclesia. Hæ dudum ad II. veteris *Neti* lapidem ante annum mccccxiii. sitę, intra mœnia subinde, ob Virginis ejusdem imaginem in pariete depictam cęlebres habebantur. Sed urbem adeunti ad ortum Minorum Conventualium se offert Conventus, cum area, & lapideo Immaculatę Dominæ nostrę simulacro basi insidente, qui ædificiorum cultu antiquo minime decedit, amplo, & vetusto, *ubi Nobilissimus quisque*, inquit Littara, *sepeliendum se mandabat.* Pirrus, ipso S. Francisco in vivis agente, anno mccxxv. fundatum dicit, & Divi Antonii de Padua incolatu clarum, ejusque opera ab eo situ, ubi primum consedit, in opportuniorem locum translatum.

Nobilitatur pręterea planities circa occasum Minorū de Observantia S. Mariæ de Jesu titulo, insigni Cœnobio, quod anno mccccli. originē agnoscit; Illius olim Bibliothecam tota Italia celeberrimam Pirrus deprędicat, & Virginis signum memorat pulcherrimum, quod extat. Ad ortum Minores Reformati degunt sęculo xvii. ineunte sub S. Antonini dę Padua nomine instituti, quorum copiosę satis familiæ capaces sunt ędes. In eadem plaga Minimorum Conventus, cujus initia in annum mdcxiii. apud S. Marię de Auxilio Ecclesiam rejecit Pirrus, & transitum ad S. Bartholomęi Apost: templum in xvii. Hodie verò eodem gloriatur titulo, decenterque incolitur. In foro contra SS. Crucifixi Basilicam Fratres Hos-

Hospitalarii S. Martini nomine domum habent, ubi consueta pietatis officia infirmis præstant. Memorat Pirrus Domum hospitalem antiquissimam tempore B. Conradi, sub S. Martini titulo, subindeque S. Maria de Rito, sub protectione Senatus Netini. Sed eam S. Martini Ecclesiam anno MDLXXVII. Carmelitæ habuerunt; hodie idcirco in hac, sub. S. Joannis de Deo institutis, uti dixi, pio operi fit satis. Divi Augustini regulam profitentes erant olim Eremitæ, qui anno MDCLXXX. inferiorem locum reliquere, & in collis vertice B. Virginis de Antro ædem frequentarunt. Nunc in nova urbe locum non habent. Theutonicorum denique Militum Hospitium sub Præceptore Sacræ Mansionis Panormi eodem Pirro teste extabat.

Pro sequiori sexu Constantia Regina Petri II. Uxor S. Mariæ Monasterium olim instituit, & alteri Syracusano, quod vulgo *de Monacabus* appellabant, unitum voluit. At ubi id fuerit, ac quidnam illi acciderit, Pirrus se nescire profitetur. Sub vocabulo S. Catherinæ aliud, ob loci angustias anno MCCCCL. S. Salvatoris ædiculam sibi delegit, ac nomen sumpsit, inde in celeberrimum evasit; Nobilitate enim, vetustate, & opibus ceteris præstans, locum hodie occupat principem in majori nempe foro, fulgetque conspicuum ædificiornm amplitudine, ac alumnarum ex primaria ingenua gente numero, sub S. Benedicti institutis. Auxit fortunis suis Violanta Caramanna anno MCCCCLIX. Ejusdem regulæ & S. Claræ cultui ad fori angulum orientale, e conspectu S. Salvatoris, addictæ Moniales in sacris vivunt claustris, omnimodam quoque elegantiam præseferentibus. Illorum author incertus; sed Ferdinandi Catholici ævo extabant, hic enim largis ele-

eleemosynis, uti fabricę repararentur, juvit, & annua pensione donavit MCCCCXCIII. Vetus templum sacravit Jacobus Humana Scutarensis Episcopus; Antonio Caruso Jnspicęfundi Domino curante, cujus filia Albira ibidem Antistes, largo sumptu anno MDXIII. ædificia promovit. Hodiernam Ecclesiam vero nobili schemate constructam Joseph Antonius Requesens Diœcesanus Pręsul novissimè dedicavit. A tergo Majoris Basilicę recta protenditur via per ortum, & occidentem, unde acclivitas incipit, totum dividens opidum. Ad hujus vię angulum Montis Virginis Monasterium S. Bernardi nomine insignitam Ecclesiam habens, ac ejusdem regulę adstrictas Sacras Virgines claudens assurgit, Eleonorę Zarbę Xuthini, & Tripis Dominę opibus ex testamento relictis anno MDLXVIII. constructum; cui aliud in S. Agathę honorem Benedictini Ordinis videtur adnexum, supernę tamen regioni, orientem versus respondens, a Petro Ragusa Pręposito, & Parocho anno MDCXLII. fundatum. Utrumque decentis formę ędificiis instruitur, & perfectioris vitę studiis commendatur. Deiparę Aununciatę sacrum, sub Abbatię novę nomenclatura, quintum, ad extremam planitiei oram circa ortum, Monasterium sedet, quod anno MDXVIII. suis opibus Joannes, & Bernardus fratres Ursi erigendum curarunt sub S. Benedicti ordine. Sextum Divæ Marię de Angelis in S. Thomæ Apostoli templo, Minorum regulam profitentes, Virgines sine dote ingressę ex Pirro, colunt, quod in area ejusdem planitiei congruis etiam ędificiis instructum Franciscus Landolina & Rao novissime proventibus liberaliter auxit. Ad puellas pauperes parentibus orbatas educandas, plurésque earum singulis annis ho-

honeftis viris locandas Parthenon confurgit eadem in regione, ubi hæc æqua primum extenditur. Id bonis fæpius laudati Caroli Giavanti anno MDXX. juxta Majus Templum in veteri *Neto* ftabat, aliorumque nobilium legatis fubinde crevit. Vivunt illæ fub Magiftris ad S. Catherinæ Senenfis præfcripta, fervatque Ecclefia S. Theodori Mart. titulum. S. Jofeph denique Domus lapfis fęminis ad bonam frugem deducendis, collatis civium eleemofynis conftructa, ad imas opidi auftrales radices locatur. Extat Mons Pietatis pro alendis pauperibus, ac dotandis Virginibus dives, aliifque religiofis operibus addictus. Extra opidum ad cc. circiter paffus circa ortum, Minores Capuccini decens cęnobium inhabitant. De antiquo hæc Pirrus *Capuccini anno* MDLIII. *apud Netinos fibi fedem delegerunt in S. Marię a Pietate templo; fed cæli gravitate, & noxiis fubjacentis amnis vaporibus mutatis domiciliis, eo loco funt recepti, ubi Manfredi Alagonę caftrum jam vacuum fqualebat, qui fuit annus* MDLXXXIV.

Filiales intra urbis fepta Ecclefiæ, fpeciali nota dignæ funt, S. Antonii Abbatis, ubi B. Aretii Mar. exuviæ conduntur; S. Catherinæ V. M. in urbe pene media; S. Andreæ Apoft. S. Petri Rofarum; & S. Eligii Epift: in fuprema regione; Animarum purgantium; & S. Petri Mar: in inferiori, quas omnes ferme Laicorum fodalitates religiosè frequentant, Præeft his, & Clero fimul moderatur Syracufani Epifcopi Vicarius, ad quem etiam in proximis opidis Abula, Xuthino, Caffaro, Palatiolo, Ferula, Buxemio, Rofolino, Balneis, & Jufpicęfundo aliqua juris dicendi facultas fpectat, veluti in *Netinæ* urbis comarchia conclufis:

Hic nam omiserim: Eugenium IV. Episcopali honore, quod innui, *Netinam* Ecclesiam condecorandam anno MCCCCXXXIIII. censuisse, mox id ipsum Nicolaum V. anno ejusdem sæculi L. confirmasse. Hinc Alphonsus Rex, agente Raynaldo Sortino urbis legato, Abbatiæ de Arcu proventus, aliusque fundos pro Ecclesiæ dote anno sequenti designavit. Sed enim, quamvis Callistus III. post biennium omnia hæc rathahabuerit, effectu nihilominus vacua, Syracusanis acriter repugnantibus, quod ad illorum Cantorem *Netina Præbenda* spectaret, remanserunt. Longe majori amplitudine patet porro civilis politiæ regimen. *Netinus* enim Regius procurator vulgo *Secretus* in Motycensi etiam Comitatu ac finitimis jus dicit; Magistratus, qui Curatoribus IV. & Syndico constat ex primaria nobilitate, quo ad publicæ salutis munia ad Platiam & Ragusam usque, regioni præficitur, & belli urgente periculo indigenam ejusdem Comitatus militiam, & circumstantium opidorum habet concreditam; in publicis demum Comitiis loco XI. votum profert. Criminum Quæstor, & Patricius Juris Consultor habent sibi adsidentes, gaudet ille jure gladii, hic civiles, ruralesque caussas cognoscit. Patricius Bajulo successit; hujus munus enim Martinus Rex anno MCCCXCII. ne civibus de se meritis oneri esset, antiquandum jussit.

Agri, camporumque ditissimum præ ceteris Siciliæ opidis est *Netum*; feuda quippe LXXVIII. late patentia, fundosque XXII. suo territorio claudit, quod pass. M. LXX. per gyrum se explicat. Littoralis ejus ora XXX. & amplius pass. M. describitur, in qua Cetariæ ex præcipuis ad ortum tres; sinus, seu Portus Vin-

Vindicaris olim *Nauſlathmus* cum emporio, & caſtello; Pachynus cum arce, & Odyſſeus, *Marſa* hodie, de quibus loquimur ſingillatim propriis in locis; alięque minoris notæ ſtationes videntur. Terræ frugum omnium feraciſſimæ, ac pabuli divites, aquis copioſiſſimis ubique irrigantur, quæ in perennes fluvios *Elorum*, *Aſſinarum*, & *Orineum* agro *Netino* concluſos ſe exonerant. Lini abundantia idcirco, Cannabi, Olei, Vini, & Caſei copia, vicinis, exteriſque neceſſaria ſufficiunt; fructibus varii generis, ſed ſiliquis prę cæteris undique conſitæ, amęniſſimæ habentur; ſaltibus, nemoribuſque largam ſuppeditant venationem, armenta, gregeſque nutriunt. Celebriores inter fontes ſunt *Buhyutus* prope littus purgandi alvei virtute prǽditus; *Muxia* morbis cutaneis curandis aptiſſimus, & *Bumbellus*, ubi belzuartici lapilli generantur. Potiſſimum eidem ruri decus conciliant, nedum nobilium villæ ſatis excultæ, ac pomaria, ſed inſignes Eremitarum domus, quas inter hodie primas habet S. Mariæ de Scala paſſ. M. VII. circa occidentem ab urbe, noſtro hoc ſæculo Hieronymi Tertii opera, ædificiis nobilis, & templo elegantiſſimo ſplendens, Carmelitis arctioris obſervantię alumnis ad profeſſionem excipiendis addicta, unde ejuſdem inſtituti *Provincia* appellatur. S. Conradi extra muros, ad III. lapidem circa ſeptentriones, loco amęniori in colle ſita hodie; cujus ſub Jeſus, & Mariæ titulo elegans eſt Eccleſia. Huic vetuſtiſſima in valle horrida Eremus adjungitur cum crypta ejuſdem S. Conradi incolatu & prodigiis celeberrima. S. Joannis de Lardia tertia, ubi complures etiam ſolitariæ vitæ ſtudiis intendunt, atque aquilonem verſus aſſurgit. S. Calogeri, & huic

adnexa S. Mariæ de Victoria, quæ circa occasum æstivum sedet. S. Mariæ, sub nomine *Maritimæ* juxta littus, cujus originem nautis quibusdam Anglis ibi naufragium passis adscribunt. Denique S. Maria de Pietate veteris *Neti* ruinis inædificata post MDCXIII. ubi S.Petri Mar.ædes stabat.Lares *Neti* sub Carolo V.Fazellus 1818. recensuit.Sed irrepsisse in notas errorem bene suspicor; aliquot enim elapsis annis MDXCV. lares 3166. incolæ 13236. sunt computati. Circa sequentis sęculi medium foci 2977. capita 9884. in Regiis libris, sed ex Pirro 3046. 14416. Anno decurrentis sęculi XIII. lares 1958. cives 7464; novissime 10202.censi sunt.

Martyres LXXV. in Menda opidulo sub Diocletiano coronati *Netini* passim creduntur, aut ex ejus finibus oriundi. Cętero inter illustres *Neti* viros jure S. Conradum veluti agmen ducere cives gloriantur; Sanctus enim Anachoreta, quamvis Placentiam habuerit patriam, ad *Neti* partes aliquando delatus, ejus in agro ad plures annos delituit, atque anno MCCCLI. in Domino obdormiens, urbis præcipuus tutelaris adoptari meruit. Illum præivit Beatus Guillelmus, qui *Netino* in solo natus ex nobili Bucceria gente, Fridericum II. cujus erat familiaris a furenti apro inter venandum appetitum egregiè juvit; ingenti hinc plaga affectus, ubi Rex acceptum beneficium rependere munifice cogitaret, non aliud ille quā domunculas prope Crucifixi ædem, Sarracenicæ arcis reliquias postulavit, quo se recipiens inculpatam vitam exegit, ibique, uti ferunt, S. Conradum hospitio excepit. Siclim inde profectus in vili cellula ignotus diù latuit, donec innumeris clarus prodigiis animam Cęlo redderet. B. Nicolaus Cistercienſis Monasterii de Arcu primus Abbas Northmannorum ævo vixit, optimique

que pastoris opinione suos rexit. Ejus exuviæ thecis inclusæ argenteis apud Netinos honori sunt. Antonius Tuanti a Mauris pro Christi fide combustus memoratur Cajetano in Siculo Martyrologio ad diem XIII. Januarii. B. Joannes Falcus Ordinis Prædicatorum diu Catanæ in S. Mariæ Grandis cœnobio, ubi professionem emiserat, vixit. Abstinentia, humilitate, & contemplationis studio clarus ibidem defunctus, anno MDVII. prodigiis variis etiam post mortem innotuit. Bernardinus ex Minoribus Observantibus vitæ integritate, & animarum zelo innotuit, ac plurima loco & tempore remota prædixit. Claruit circa sæculi XV. exitum. Antonius ejusdem ordinis apud *Netinos* celebratur, qui puteum in agro Busulumone aperuit aquas hodie salutares emittentem. Conradus in S. Joannis de Lardia perfectissimus solitarius. Ludovicus a Domnis Capuccinus Siculam suorum provinciam ad plures annos sanctè administravit, a munere autem vacans terram ligone exercebat, ac vilissima quæque domus munia obibat; humilis, integer, sibique austerus vixit, annoque MDLIV, Syracusis decessit. Brandanus Terranova Sacerdos in sacris locis per Siciliam, & Italiam visitandis integerrimam traduxit vitam, postque plurima Dei & pauperum obsequia in Montabbodo Senogaliensis Diœcesis opido piissime MDLVIII. obdormiit, magno ibi funere elatus. De Joanne Maria Minnito, & Hieronymo Isveglia inferius. Complures in *Netinis* Anachoresibus vitæ perfectione præcipuos vixisse palam est cunctis, & si alibi ex iis nonnulli ortum habuerint, quorum idcirco nomina tantum dabo. Conradus a *Neto*, Didacus Cannata, Petrus Gazzetti, Alphius a Melilli, Joannes Baptista a Mediolano, Joseph

ſeph Cicamus Hiſpanus: Ab his inſtituti diſcipuli pene innumeri leguntur, qui loca illa virtutibus illuſtrarunt, & Siciliam univerſam fama ſanctitatis compleverunt. Noviſſimè piè, uti vixerat, deceſſit Hieronymus Tertius Netinus, qui primum Eremi S. Mariæ de Scala incola, populo & principibus viris ob vitæ innocentiam ſummè acceptus, ſubinde ad Carmelitas tranſiit, quos, ad firmandas in eodem de Scala ſolitario loco, ab ſe ædificiis reparato, ſedes, traduxit. Celebrat Pirrus Mariam Carambola tertii Ordinis S. Dominici vitæ auſteritate, puritatis amore, aliiſque virtutibus inſignem, & Thomaſiam Capella æque virtutibus, ac ſanguine nobilem, cujus cadaver adhuc integrum in S. Claræ Monaſterio ab anno MCCCCXXXIII. perdurare affirmat.

Præſules, Abbates, aliiſque muniis, & dignitatibus inſignes claruere: Matthæus Corſale ordinis Minorum eximius Theologus, ſuo dum præeſſet *Netino* Monaſterio, cum Guidone de Sancta Catanenſe, Orator ad Benedictum XII. anno MCCCLVIII. Ludovici Regis nomine deſtinatus, ut hunc in Siciliæ jam inita poſt patris mortem poſſeſſione Pontifex confirmaret. Benedictus de Aquila ſub Martino Ciſtercienſis de Arcu Cenobii Abbas. Raynaldus Montorus, & Landolina Ord. S. Dominici S. T. M. Hæreticæ pravitatis in Sicilia Quæſitor; primus *SS. Cruciatæ* generalis Commiſſarius ab Alexandro VI. deſignatus. Epiſcopus Cepalædenſis obiit, dum in Hiſpaniis pro Sicilia Legatum ageret anno MDXI. Scripſit de Naturalibus Reductionibus. Antonius Corſettus ob præclara in lucem edita opera Doctoris Excellentiſſimi titulo donatus, Melitenſis Epiſcopus, Romæ ad majora promovendus veneno

neno ſublatus MDIII. Jacobus Humana Epiſcopus Scutarenſis S. Spiritus Calatanixettæ Abbas; dum pro Epiſcopo Syracuſano Diecœſim luſtraret Calatajeroni MCXVII. deceſſit. Nicolaus de Caſtellis Prior S. Mariæ de Burgitabus, Abbas S. Mariæ Montis Majoris claruit MDXIV. Philippus de Barberiis genere nobilis, ex Prædicatorum ſamilia de Rebus Fidei MCCCCLXXI. in Sicilia Quæſitor. Joannes de Auriſpa Abbas S. Philippi de Grandis, & S. Mariæ de Roccadia, Romano Pontifici a Secretis, de quo inferius. Joſeph de Bonaſia ex Minoribus Conventualibus Siculorum ampliſſimum ornamentum a Pirro appellatus, Siculam, & Appulam ſuorum provinciam rexit, Aſſiſii & Neapolis Rector fulſit, ad Pium V. Ordinis Legatus, oblatas infulas recuſavit, defecit Leontinis MDLXXV. egregius Eccleſiaſtes & Theologus. Clemens de Laurentio, & Macca, vir toto orbe doctrina & prudentia illuſtriſſimus, elegans Concionator, ſui ordinis Capuccinorum in Romana curia primum Procurator, indeque Generalis Miniſter, Paulo V. & Urbano VIII. acceptus, Syracuſis MDCXXX. mortalis eſſe deſiit. Joannes Maria Minniti ejuſdem inſtituti, variis muniis clarus, vitæ autem auſteritate admirabilis, totius Ordinis poſt Clementem regimen nactus, eo ad ſeptemnium admiſtrato, Neapolis innocentis vitæ opinione. MCCXXXI. in Domino obdormiit. Cujus cor in patriam ſuam tranſmiſſum eſt. Conradus N. Syracuſanus delectus pontifex, morte præreptus dignitatẽ non obtinuit; ejus meminit Cęſar Cajetanus in Catal. Epiſ. Syrac. Octavius Corſettus Philoſophus, & Juris peritus inter eximios recenſendus; litium oſor acerrimus, & juſtitiæ cultor egregius, M. R. C. togam, altè de Divinis

ſeu-

sentiens, sponte deposuit. Scripsit *Consilia Feudalia*, & *Quæstiones Forenses*, obiit MDLXXXVII. Hujus filius Petrus Corsettus Supremi Consilii in Hispania Regens, Consistorii, Regii Patrimonii, & M. R. C. Præses, tamdemqne Episcopus Cephalædensis multa edidit, sed præ aliis celebratur ejus *Idea Episcoporum*. Jacobus Corsettus Octavio etiam progenitus secundum Judex, inde M. R. C. Fisci Patronus, Juris peritia, & integritate celeberrimus. Hos jure *Netini* suis accensent. Roccus Pirrus S. Mariæ de Ambula Abbas, de quo suo loco, Carolus Impellizeri sanguine illustrissimus Philippo IV. primum a Sacello, mox Mazaræ Episcopus MDCLIV. vita excessit. Simon Impellizeri inter Regii etiam Sacelli alumnos adscriptus, hinc S. Luciæ Abbas & Siciliæ Major Capellanus, moribus & scientia illustris; floruit MDCCI. Apud Pirrum, & Littaram complures alii ex nomine laudantur Claustrales, qui supremis in Sicilia sui ordinis præfecturis decorati patriam nobilitarunt; consulendi hinc authores illi, dum alios recensere sæculi gradibus illustres aggredior. Præ cæteris vero Nicolaum Specialem summo loco natum ad difficillima quæque obeunda aptissimum, belli, ac pacis artibus imbutum. Fulsit Siciliæ Prorex sub Alphonso, cui acceptissimus evasit, cujusque Legatus fuit. Mortale exuit *Neti* MCCCCXLIV. in S. Francisci æde tumulatus. Hunc Siculæ Historiæ authorē perperam credidit Pirrus, quum alius ab illo fuerit, uti dicemus. Joannes Landolina Siculis in annalibus sæpissime laudatus ob egregiam Friderico Regi præstitam operam. Vir fuit ingentis animi, variisque militiæ honoribus affectus; periit in insidiis ab hoste interceptus MCCCLVIII. Joannes Capellus sub Friderico II. armis, & consilio

cla-

rus, quem magnis extollit laudibus Littara. Nicolaus Specialis alter, sed vetustior Prorege Nicolao, ejusdem gentis, Friderici II. ad Pontificem Legatus, Siculę Historiæ Scriptor. Marcellus Pipi genere nobilis strenuus sub Alphonso Rege Miles & Dux, de quo idem Littara. Petrus Specialis Nicolai Proregis filius Alcami, Castelluccii & Calatafimis Dominus, a Regiis Rationibus Magister. Joannes Matthęus alter ejusdem Nicolai filius, Siciliç Quæstor. Antonius Carusius Ispicęfundi Dynasta, ab Regio ærario integerrimus Minister. Antonius Caramanna Regii in Sicilia Patrimonii Conservator, patrium S. Salvatoris Monialium Cęnobium cum uxore hæredem dixit MCCCCXXXIX. Raynaldus Sortinus ad Alphonsum Regem, & Eugenium IV. Orator, de quo supra, de Episcopali throno in patria erigendo egit, & ad votum Pontificias, Regiasque literas obtinuit. Hos omnes, aliosque plurimis commendat laudibus Littara. Hieronymus Isveglia Mathesis scientia apprime imbutus, atque in jure consultissimus M. R. C. Judex, ac Regii Patrimonii Fisci Patronus, moribus autem, christianisque virtutibus, necnon Divinis charismatibus adeo illustris, uti sæculi miraculum diceretur. Desiit Panormi vivere MDCIX. Ejus vitam scripsit Petrus Tognoletus. Dominicus Landolina ingenii fęlicitate paucis secundus, emensis in foro variis dignitatum gradibus, ad Regentis munus in Siculi Regis nostri aula evocatus, eam provinciam hodie Neapoli egregie illustrat, & S. Donati Ducis titulo gaudet.

Scriptores *Netinos* atque a scientiis commendatos enumerant Littara, Pirrus, & Mongitore, ex quibus breviter hic præcipuos recenseo. F. Joannes Ricca S. T. M. Minorita, scripsit de Pęnitentia, uti An-

gelus in Summa testatur. Floruit sub Martino Rege anno MCCCXCVI. Nicolaus Specialis ab anno MCCCXXXII. post Gallorum expulsionem ad MCCCXXXVIII. Siculam edidit historiam, quam Petrus de Marca publici juris fecit. Idem Friderici II. ad Benedictum XII. Legatus inclaruit, uti ipse testatur. Meminit Ætnæi etiam incendii MCCCXXIX, quod suis vidisse oculis affirmat. Pirrus memoriæ lapsu ad MCCCCXLIV suos produxisse annales Nicolaum tradit, & cum altero Siciliæ sub Alphonso, Prorege confundit, quod paullo ante adnotavi. Joannes Tamagninus Medicus & Astrologus clarissimus ob varia ab eo prædicta, ac mira gesta, ob perspicuam, quam habebat de Astrorum influentia cognitionem a Littara commendatus. Decessit MCCCCXI. in cujus sepulchro egregium apud S. Nicolai princeps templum epigramma legit Pirrus, quod integrum refert. Joannes Aurispa vir omni scientiarum genere eruditus, Rhetor luculentus, & Poeta in Italia laureatus, Nicolao V. Rom. Pont. a Secretis, S. Philippi de Grandis primum Abbas, hinc S. Mariæ de Roccadia. Vivebat anno MCCCCLVII. Illum laudant Valla, Æneas Pius, Leander, Scanellus, Bergomensis & Siculi omnes, Panormita, Fazellus, Pirrus, Littara, Mongitore. Extant illius Epigrammata, Epistolarum opus, & Hierocli liber latinitate donatus. Littara circa eius obitum fallitur, quem in annum MCCCCXVI. male rejecit, uti Pirrus advertit. Antonius Cassarinus, aliis Gasparinus Orator egregius, Panormi primum publico stipendio, mox Constantinopoli Rethoricam docuit; Græcis enim & Latinis literis apprime instructus inter præclaros sui ævi viros excellentissimus est habitus; Papiæ mox, Mediolani, ac tandem Januæ complures erudivit, ubi anno MCCCCXLIV. civibus dissiden-

sidentibus, quum in ejus ædes irrumpere nonnulli tentarent, ipseque effugium per fenestram moliretur, ingenti in terram lapsu concidens, continuo expiravit. Vertit in Romanum sermonem Platonis libros de Republica, quod opus Alphonso Regi nuncupavit, pleraque alia ex Plutarcho & eodem Platone latina fecit. Scripsit Epistolarum libros IV. Orationes duas, alteram ad Philippũ Mediolani Ducem, alteram ad Januensem Senatum. Laudatur passim. Joannes Mancusius, Medicus, & Poeta anno MCCCCXLIV. in Italia illustris evasit; nam Senis *Angelinetum* Poema amatorium ingenti plausu cecinit, Leandro Aretino maxime probatum, aliaque ingeniosissimi vatis testimonia edidit. Paulus Mazonus U. J. præstantissimus Doctor, scripsit *de Feudis Consilium*, quod Joannes Antoni Cannetius laudat. Floruit Guillelmi Perni Syracusani Juris consulti eximii ævo, eique commendatus vixit. Nicolaus Datus celeberrimus tota Sicilia Medicus, Philosophus, & Mathematicus, a Lucio Marineo egregiè laudatus, in ferendis de quovis morbo præsagiis mirus effulsit. Raynaldus Montorus, & Landolina, Antonius Corsettus, & Jacobus Humana Episcopi, de quibus supra, a Mongitore merito ob edita opera in Bibliotheca relati sæculo XV. floruerunt. De Antonii Corsetti Nepotibus supra etiam. Joannes Antonius Provincia Historicus, & Geographus nulli ætate sua secundus, a summo Pontifice in Hiberniam Legatus mittitur, deque insulæ hujus situ, & gentis moribus librum scripsit, Ferdinando Cunæ Proregi dicatum. Andreas Barbatias de Bartholomæo inter celeberrimos Juris Cons. sub nomine *Andreæ Siculi* venit; *Neti* quidem natus, sed Messanensi civitate ob facultatis politicæ eruditionem donatus; plura

ſcripſit, quę manibus legalis ſcientiæ candidatorum teruntur. Ejus meminit Nicolaus Tedeſchi, ſuumque conterraneum appellat. Joannes Lucas Barberius generis nobilitate clarus, Regius Conſiliarius, juriſque conſultiſſimus; publica Siciliæ Regni Tabularia, quæ ipſi patebant, omnia revolvit, atque ex iis *Capibrevia* congeſſit, Vallis Neti ſcilicet, Demanæ, & Mazaræ, nec non Eccleſiaſtica, ubi omnia recenſet Baronum feuda, eorumque poſſeſſores, ac *titulos*, uti ajunt, expendit; tum Abbatias, aliaſque Prælaturas ad Regiam nominationem ſpectantes, earumque jura improbo ſane labore, atque induſtria promit. Ejus meminere Lucius Marineus, Pirrus, aliique. Antonius Vinutus de Agricultura opus concinnavit, atque de S. Conradi vita. Petrus Pipi Bonſalæ feudi dominus, Poeta fuit clariſſimus, ſcripſitque *de Peſte, ac de Ætnæ incendio*, quod Bellum appellat Divinum. Joannes Datus agri Frigintini dynaſta, antiquitatis ſtudioſiſſimus a Fazello appellatus, in omnium temporum, regionumque hiſtoria verſatus, de Geſtis Maniacis uberrime diſſeruit. Sebaſtianus Iſveglia, ſeu Vella, Juris Conſultus, Blaſci Lanceæ indicio, omnium, quæ ad Feudales pertinent cauſſas, peritiſſimus. Scripſit Conſilia plurima, vixitque medio XVI. ſæculo. Joannes Profectus Medicus, & Poeta inter celebres adſcriptus, diù Neapoli Philoſophiam, & Medicinam docuit, & Paulo III. cujus ſervandæ ſaluti adlectus fuit, opera ſua, *Cantica* ſcilicet *de Verbo Dei*, & *Sympoſium de Vinis* dicavit. Sigyſmundus Cappellus Bonſaluræ Dominus generis nobilitate, & literarum gloria clarus, Muſis acceptus, ſub Ferdinando & Carolo Regibus floruit, de quo Littara. Scripſit, Carmina elegantia, & venuſtate præcipua, veterum elegis

gis comparanda. Joseph Scala Naturalis scientiæ & Medicæ præsertim facultatis callentissimus, Græcisque literis apprime instructus, inmatura sublatus est morte anno ætatis xxv. a Christo nato MDLVI. scripsit de *Dialectica ac de Arte Medendi.* Joseph Scala posthumus, patre haud inferior, Mathesim, Medicinam, & Philosophiam eximiè coluit, magnaque ex parte absque Magistro didicit, *Ephemerides* composuit, & in *Maginum Apologiam.* Obiit præpropero etiam fato MDLXXXV. - Michael Cassarinus *De verbo Dei* opus concinnavit mira subtilitate, ac facundia; fuit enim Theologiæ rerumque sacrarum peritissimus, adeo promptæ memoriæ, ut quidquid legeret, mente retineret. Decessit nonagenarius MDLXXXI. - Joannes Baptista Lartius humanis facultatibus, Philosophia, Medicina, & Jurisprudentia excultus, omnique eruditione solidaque doctrina imbutus; claruit anno MDXC. quo edidit *de Perfectionibus Humanæ mentis* librum Simoni de Aragonia Cardinali dicatum. Archangelus Messana ex Minoribus de Observantia virtute, & doctrina conspicuus, de quo Pirrus, & Uvadingus. Hercules Pipi nulli in Mathesis scientia secundus, uti Littara testatur. Jacobus Ribaldus Episcopi Dalmatici vices Syracusis gessit. *de Vita, & Gestis S. Conradi* opus vulgavit. Hieronymus Puglisius de vita ejusdem Sancti, & de Judicio Universali Etrusco carmine scripsit. Vincentius Littara S. T. & J. U. Magister honesto loco natus, acre ingenium scientiis sacris, prophanisque addixit, in quibus mire excelluit. Viris Principibus ob morum elegantiam, & eruditionem acceptus, diù Panormi vixit, tandemque Agrigentum ab Episcopo Horosco accitus, uti juventuti præluceret, ibi mor-

tale

tale exuit anno MDCIII. Edidit complura opuscula ad Grammaticam spectantia, de *Rebus Netinis* librum, & de S. Conradi vita, Poema *Conradiados* appellatum; reliquit mstam *Historiam Ennensem*, *de Aquila Panormitana*, & de *Primatu ejusdem Ecclesiæ*, aliaque innumera, quæ Mongitorius commendat. Roccus Pirrus Littaræ discipulus inter doctissimos effulsit viros, variisque dignitatibus, & muniis decoratus enituit. Regius enim Philippi IV. Capellanus, Abbas S. Mariæ de Ambula, S. Petri de Palatio Canonicus, demumque ut in Episcopum eligeretur sæpius oblatus. De Sacra Siciliæ Historia meritissimus immortale sibi nomen peperit. Corpus deposuit septuagennario major MDCL. Typis tradidit *Chronologiam Regum Siciliæ, & Siciliam Sacram*, sive *Ecclesiarum Notitias* libris IV. comprehensas. Quum adhuc ann: XV. esset. *Synonimorum* edidit opusculum. De eo innumeri agunt. Marianus de Laurentio Canonicus Netinus plures *de Rebus Musicis* tractatus in lucem emisit. Clemens *Netinus*, & Joannes Maria, ordinis Capuccinorum Generales Ministri, ob vulgata opuscula Mongitori in Bibliot: memorantur. Idem laudat Bonaventuram Conochiellam Ord. Minimorum, Josephum Landolinam Societ. Jesu, Vincentium Paganum, Antonium Mazzone, & Raymundum Bonfilium ex Prædicatoribus eximios Ecclesiastes, vulgatis operibus illustres; Marianum quoque Accardum Jurisconſ. eximium, & humanioribus scientis præditum, Raynaldum de Amico Musices peritum, Vincentium Ricciarellum poetica eruditione clarum, aliosque celebrat. Vincentius vero Littara longe plures commendat doctrina egregios, quos novit, apud eundem videndos. Nostro hoc sæculo Franciscus Landolina & Rizzari vir ab omnigena

na eruditione clarus, ac poeticis studiis addictissimus; sed moribus vel maxime incorruptis floruit. Catanæ, ubi ab ipsa juventute cum matre se contulerat, immortali nominis fama relicta, anno MDCCCXIV. ætatis XXXI. decessit. Edidit complura Italica dramata, aliasque elucubrationes mstas reliquit; Orlandus Sortinus Bosulumuni Dynasta tanta memoriæ fęlicitate, ingenii acumine, & sublimitate valuit, adeo humanis literis, Poesi præsertim, Divinis, & Philosophicis scientiis excelluit, uti passim naturæ miraculum appellaretur; de implexis rebus, ac cujusque scientiæ ambagibus interrogatus abunde satisfaciebat, Etrusco, & latino metro multa extempore dictabat prælo dignissima. Obiit quadragenarius, ultimus gentis suæ anno MDCCX. Literarios illius labores frater germanus Societ. Jesu, Panormum, ut ederentur, secum detulit, cujus morte periere. Franciscus Landolina, & Rao Sacerdos genere illustrissimus, virtute nobilior, ingenio, & facundia promptus, memoria fęlix, moribus incorruptus, humanis, sed mathematicis pręsertim, Divinisque scientiis abunde imbutus, suis, exterisque charus, LXXVII. ætatis in patria obiit MDCCLVI. Plura scripsit, quæ ante mortem vir humilitate præstans igni tradidit; suppresso nomine *Synodum Syracusanam* sub Thoma Marino celebratam edidit, *Geographiam* ad puerorum captum accommodatam, *Diei divisionem perpetuam*, & alia edidit.

Refert Philippus Paruta Neti numisma vetus, in cujus antica facie Herculis prosoma cum clava, leonina pelle, & globulo, in postica vero Leo sedens cum clava conspicitur; inscriptio habet NE. Apud Gualterium in Siculis Tabulis hæc lego: *Neti in plano S. Joannis super ingressum antri in vivo lapide*,

EII-

ΕΠΙ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡ.....

ΑΡΙΣΤΙΩΝΟΣ ΤΟΥ ΑΓΑΘ..

ΦΙΛΙΣΤΙΩΝΟΣ ΤΟΥ ΕΠΙΚΡΑΤ

ΝΕΑΝΙΣΚΟΙ ΙΕΡΟΝΕΙΟ.

Explicat idem author: *Sub Gymnasiarcho Aristione Agath .. filio Philistionis Epicrat ..... Juniores Jeronei ..* Fazellus eumdem referens lapidem, illius explicationem male conceptam expendit.

S. NICOLAI Antrum apud Syracusas, ingens, & testudinatum, Neapolis ambitu conclusum, multorum manibus excisum; inde enim ad ædificia molienda lapides suppeditabant, uti de aliis Lapicidinis dixi. *Latumiæ*, inquit Aretius, *sub terra carceres .. In has, si qui publicè custodiendi erant, etiam ex aliis opidis deducebantur .. Sunt adhuc quinque insignes omnes carentes testudine præter quam una ad meridiem conversa, Syracusanis antrum S. Nicolai appellata; ubi carcer ille, qui a Dionysio factus est. Alterum huic abhæret antrum Grotta, che favella hodie dicitur*, cujus alibi memini. In area ante os antri, quæ etiam sub terra est, pyramis subrigitur, seu lapidea præcisa undique moles, columnæ instar, ubi excubias egisse custodes tradunt.

S. NICOLAI Opidum de Tribus Fontibus, cujus est mentio in antiquis chartis, & Pontificiis diplomatis Syracusanæ Ecclesiæ parœciam enumerantibus. Quo autem nomine hodie veniat incertum. Melilli sub Majori Ecclesia, quæ S. Nicolai titulo gaudet, paucis ab hinc fodientes, aquarum ductus & fontes detexerunt. Alibi, quod sciã, intra ejusdem diœcesis fines Sacræ primariæ ædes S. Nicolao dicatæ id forte indici-

um

um non habent. Milillim idcirco, vetus certe opidum, eo *S. Nicolai de Tribus Fontibus* vocabulo indigitari, conjecturis agendo putaverim.

NIXEMUM, Uulgi, vocabulo *Nifcemis*, atque a celebri Deiparæ imagine, & incolarum cultu erga eamdem *S. Maria di Nifcemi*, unde illius opidani *Sanmariates* Siculis dicti. Frequens est oppidum pari intervallo XII. paff. M. ab Galatajeroue, & Terranova distitum, fedetque in alto colle, cujus verticem læta, ac patens undique planities extendit; longe ac latè idcirco per quatuor cæli cardines, circumpofitas regiones, ac vicinum Africum profpicit mare, aere faluberrimo gaudet, ventifque leniffimis afflatur. Vetus olim ibi ftetiffe opidum ingentes ruinæ, fubftructionefque paffim detectæ produnt, cujus omnino periit nomen; ad multa enim jugera cum in collis lateribus, tum in fubiectis fepulchra immanium etiam corporum occurrunt, cujufque metalli numifmata, fictilia vafa, lucernæ, phialæ, ac non unum defoffum est tessellatum pavimentum cum epipraphe: *Alba*, quin & in vafis ipfis infcriptum legitur: *Vilius*. Templi quoque veftigia, Siculo ore *Crefiaccia* meridiem verfus ad paff. M. DCC. circiter, Arcifque rudera ad Septentriones paff. M. diffita fpectantur, vulgo *Caftellana*; quæ fane omnia prifcos incoluiffe mortales collis juga ac latera, aperte, uti dicebam, indicant. Cætero XVI. feculo exeunte, quum rufticus quidam *Andreas de Arma*, de bove deperdito folicitus, hunc ante dumetum, fub quo fons emanabat, de genu flexum comperiffet, ac rem contra ordinem miratus, vepribus, diffipatis, Dei Genitricis imaginem inveniffet, colonis circumpofitis de eventu edoctis, author fuit, uti col-

latis eleemosynis ædes supra fontem excitaretur, ubi primum tabula locata. Fama autem vicinos pervadente, mirisque compluribus erga fideles, eò cum votis confluentes, Virginis ope patratis, opportuna Dynastis Brancifortiis sese obtulit occasio, homines congregandi; Collis enim, agerque late procurrens eorum juris erat. Joseph itaque Fabritii Buteræ Principis filius, secundo loco natus, Philippo IV. *Niximensis* Principatus insignibus anno MDCXXVII. obtentis; cęptum opus eo provexit, uti brevi sub *S. Mariæ de Nixemi* titulo opidum non inelegans, & copiosum, latis, rectisque viis, amplissimo foro, decentibusque ædificiis in plano collis vertice coalesceret, quingentis circiter passibus ab ædicula Virginis, unde religiosa imago translata est, quæ in majori Ecclesia decentissime, ara splendida instituta, locum habuit. Hæc sub S. Mariæ de Odigitria nomine, nobili, & magnifica structura in foro ad austrum exurgit, nuperrime, corrogata populi pecunia, anno MDCCXLV. tria intra lustra nempe, ad summum fastigium perducta, atque octennio post ab Episcopo Francisco Testa sacris de more cęremoniis oleo inuncta, quæ nobili etiam supellectile, elegantique ornatu interno, lapideo prospectu, ac turri superbit. Minores aliæ Ecclesiæ quatuor; sed inter eas spectatu digna contra majorem in eodem foro, Christo e Cruce pendenti sacra. Ad CC. circiter passus in collis latere circa occasum Minorum de Reformatione Cęnobium sub S.Mariæ nomine paucis ab hinc annis extructum, ab ædicula supra memorata, de *Aqua Sancta*, ac de *Nemore* dicta, haud procul. In hac vero fons perseverat, & aqua salutaris Deiparę intercessione habetur, quæ sub eo ti-

titulo præcipua est Opidanis Patrona, festum illi diem summa circumjacentium populorum frequentia celebrantibus

Uxoris Catherinæ jure possidet hodie Opidum Hercules Michael Brancifortius, sed Principatus titulum ab anno MDCLXI. *Vitalis Valguarnera* Renellæ Dux assecutus, ad hæredem *Vitalem II.* transmisit. *Mixto, ac mero imperio*, uti appellant, Dominus gaudet, ac Magistratus annuos designat. Calatajeronensi Comarchiæ opidani subduntur, quorum erant lares medio elapso sæculo 156. capita 568. Anno MDCCXIII. lares 666. animæ 2613. Novissime 3861. recensentur. Diœcesis Syracusanæ finibus *Nixemum* clauditur; Parocho spiritualis cura committur; fori Ecclesiastici jura Episcopi Vicarius administrat. Agro fertilissimo utitur, unde nedum incolæ & vicini, sed remotiores frugum omnium copiam, olera, legumina, vina, fructus, oleum, mel percipiunt; pascuis vero lætissimis rem pecuariam in eo locupletari vel maxime prædicant, nemoribus & sylvis venationem jucundam pariter, & utilem suppeditari, nec lacus deest ad collis radices in fundo Costæ frigidæ ab omnigena piscium copia laudatus; hinc Marogli fluminis, de quo dixi, aquæ, æstate quidem salsedine infectæ, hyeme omnino dulces, illum præterlabentes fęcundiorem reddunt; qua soli ubertate passim illecti coloni complures eo accurrentes, maximis in dies incrementis opidum nobilitant, quod ad XXXVIII. longitudinis pene jacet, & XXXVII. latitudinis gradũ minutis aliquot vix excedit.

NISSORIA latissimus fundus, hodie ad Montecatinos pertinens, in quo dudum Casale ejusdem nominis, ac novum subinde moliri cęptum nostris hisce diebus,

medium inter Agyrium, Afforum, & Leonfortem, am ęniflimo loco, publicæque viæ, qua Catana Panormum itur, impositum. In eo faltus & nemora ad venationem aptiflimæ, vineæ, oleta, ac terræ frumenti feraciffimæ, prata pingui gramine veftita, pecudibus, armentifque pabulum præbentia gratiflimum, omnia denique ad colonorum commodum ac felicitatem invenies. Salfo fluvio, qui ad orientem currit, ortumque prope Nicofiam habet, abluitur, aliifque fontibus fęcundatur. Petra Serlonis, vulgo *Sarni* circa ejus fines fubrigitur; de qua alibi. *Nifforiæ* olim dominus Virgilius ille celebris apud Hiftoricos, qui per fummum nefas Catanam patriam fuam prodidit, & Roberti Andegavenfis partes fecutus a Friderico II. defecit. Hinc *Raynaldo de Sano*, datis Ennæ literis MCCXCIX Rex idem Feudum conceffit. Huic filii *Joannes*, & *Nicolaus* fubrogati; Nicolaus abfque prole decedens *Nicolaum* nepotem hæredem dixit, cui *Raynaldus* filius fucceffit ab Rege Ludovico confirmatus. Hic *Matthæum de Alexio* confanguineum poft fe fuffecit, qui Friderici III. privilegio munitus poffeffionem iniit. Sub Martino Principe varios habuit dynaftas, quos recenfere longum effet; tamdemque ad *Joannem Marchifium*, uti cum Barberius appellat, *Nifforia* devenit; fed in ejufdem Martini cenfu anno MCCCCVIII. *Thomas Marchifius* fundi dominus dicitur, Perftitit eidem Marchifiæ genti obnoxium ad fęculum ufque VII. fupra X. qua deficiente, *Montecatinis* paruit; hodieque ad Francifcum Rodericum Paternionis Principem Cameratæ Ducem pertinet, qui uti dixi, novum cafale molitur.

NOMÆ Diodorus lib. II. cap. 90. hæc habet: *Vol-*

Volco Syracusanorum Dux, *expeditione suscepta, Ducetium circa Nomas castrametatum offendit, & collatis inde signis, quum multi utrinque occumberent, vix tandem vi Syracusanorum Siculi ad fugam adiguntur . . . At Ducetius opibus suis illa pugna fractis; quum milites eum partim desererent, partim insidias molirentur, ad extremam desperationem adigitur. Tandem, ubi huc rem deductam vidit, noctu fuga arrepta, Syracusas citato equi cursu advolat, & obscura adhuc nocte in forum sese transferens ad aras se prostravit.* Ex his clarè deducitur *Nomas* haud procul Syracusis fuisse. Silius lib. 14. canit: *Comitata Nomeis venit Amastra viris*. Amastra ad latus Septentrionale stetit, hodie *Misiretta*, uti alibi dicam. An *Nomas* apud Diodorum irrepsit pro *Menas* aut *Neas*? Urbs enim Sicula esse oportuit, ex qua Syracusas iter erat, quod citato equo noctis non integræ spatio confici poterat. In meis ad Fazellum notis ex hoc ipso brevi inter *Nomas* & Syracusas itinere deduxi *Neas* Siculam esse urbem, circa quam Ducetius castrametatus.

NONYMNA Opidum perantiquum memoratur Stephani Epitomatori ex Philisti historiis. *Nonymna*, inquit, *Opidum Siciliæ, opidanus inde Nonymnæus authore Philisto.* De situ ejus urbis nihil certi habeo; nisi quod locus hodie est vulgari vocabulo *Nouni*. De eo Fazellus, cujus retuli paullo superius verba, & hic repetere non gravabor: *Naunis e Platia veteri ad pass.* M. II. *sequitur, Collis sibi soli constans, ad cujus verticem opidi prostrati quidem, sed adhuc ignoti, magnum cadaver teritur.* Subdit Cluverius, cui Chiarandanus adhæret: *Has Nonymnæ urbis reliquias esse, ex vocabulorum similitudine conjicere tantum datur;*

OA-



OANUS fluvius, vulgo *Frascularis*, oritur in collibus Ragusanis ex fonte *Passolato*, emensisque p. M. VII. inter Hipparim amnem, & promontorium *Rasacaramim*, sive *Scaramim*, in meridionali Siciliæ ora ostium aperit. Passus Siclensis appellatur locus, ubi trajectum habet. De eo antiquissimus Pindarus & Scholiastes, ubi de Camerina, prope quam *Oanus* fluit: *O urbis Conservatrix Pallas celebrat lucum sacrum tuum, Flumenque Oanum, patriamque Paludem. Canit*, inquiunt scholia, *amnem Oanum & patriam paludem Camarinam*.

OCHULA Opidulum, *Aquila*, *Alvila*, *Locuia*, & *Alchila*. *Occhiolà* vulgari voce olim, hodie *Gran-Michiele*, de quo dixi, & vetus forte *Echetla*, in collis crepidine omnino ardui, & prærupti ab occasu æstivo, qua regione Menensis æquus ager sese extendit, ab aliis vero cęli partibus nonnihil declivis, sed cautibus asperrimi, sedebat ante annum MDCXCIII, cum arce in supremo clivo undique inaccessa, quo circa in Regiis libris *Motta* dicebatur. Pari autem distantia a Menis, Calatajerone, & Lycodia locus abest; & Menas quidem ab ortu, Calatajeronē ab occasu, Lycodiamque ab austro spectabat. Ejus hodie perstant ruinæ; anno quippe enunciato terræmotu concussam & prostratam *Ochulam* in ameniorem proximum campum ad ortum hybernum Carolus Caraffa ejus Dynasta transtulit *Gran-Michele* appellatum. Foci ex Pirro 447. opidani 1767. adnotabantur, sed in Regiis censibus foci 530. incolæ 1665. Subdebatur

quo

quo ad Militiæ munera Leontino Præfecto, & sub Calatajeronensi Comarchia computabatur.

Alchilæ, seu *Alvitæ* (his enim nominibus in Regiis libris *Ochulam* distinctam lego) dominus *Leo de Sancta Stefano* sub Friderico II. erat, cujus hæres Martino Regi infensus castrum amisit, quo *Joannes de Cruillas* anno MCCCXCVII. donatus, mox gratum Regi suo facturus illi renunciavit. *Ugo* hinc & *Calcerandus de Sancta pace* cum Lycodia, & Lacu Leontinensi *Alchilam* in clientelam accepere. A Sanctapaciis *Brancifortii*, & Caraffa ad aliquod tempus tenuit. Vide de Lycodiæ & Buteræ Dynastis.

OCHULA Unus ex fontibus amnis, qui Fazello *Symęthus*, *Erica* Cluverio, *Gurna longa*, *&* *S. Paulus* circa ostia vocabatur, hodieque in magnum Catanæ fluvium illabitur. Erumpit *Ochula* fons, ad collis radices, cui opidum cognomine insidebat; dilapsusque aliorum fontium aquis sibi adjunctis, Menense auget fluentum, quod vulgus Calatahiarum, & veteres Ericam dixere.

OCULUS CILICÆ fons aquę dulcissimæ mediis maris fluctibus a conspectu Arethusę in portu Syracusano exiliens. Vide *Cilicæ Oculus*.

ODEGRILLUM Casale, *Dirillum* ad fluminis ejusdem nominis crepidines in tummulo dudum situm, a Biscaris opido haud procul, quod ex illius reliquiis incrementa habuisse contendunt. Motycensis Comitatus erat membrum, & in Martini Regis literis, quibus Bernardum de Caprera Comitem constituit, memoratur. In eodem tumulo perstat hodie Ecclesia ruralis cum ædibus & horreis ad colonorum usum. Fazellus Alaymum de Leontino sub Petro Arago-

gonensi ejusque filiis Bucherii, Palatioli, & Oldorigi dominum vulgavit, nempe, uti conjecto, *Odegrilli*. Friderico II. rerum potiente *Orlandus de Milia* Panormitanus pro *Odegrillo* Regi sacramentum dixit, uti in ejusdem Censu,

ODYSSEUM Promontorium, *Ulysseum* ab Ulyssis appulsu, vulgo *Marsa*, de quo satis dictum, ubi de *Edissa* portu apud Tullium memorato, & de Marsa; hoc enim nomine vulgo venit. Illud Lycophron in Alexandra celebrat, dum canit,

Sisyphei filii iugosum Promontorium.

Ulyssem enim Sisyphi filium fuisse tradunt, inquit Scholiastes. Aretius *Odysseum* ad portum Palorum male locavit, uti dicam.

ODYSSEA vetus Urbs ad portum cognominem sita. Ruderum, reliquiarumque meminit Fazellus, & Ego supra ubi de *Castellatio*; illa enim hodie ita appellant. Vide etiam *Hecates Fanum*, & *Hecabes Cenotaphium*, ad eumdem portum sita.

OGNINA Statio, ac promontorium post Syracusarum portum Pachynum versus. Vide *Lognina*, Ptolomæo *Longum* Promontorium.

OLCADA. Statio in portu majori Syracusano, Vulgo *Rinella* juxta Mirabellam, qui ex Diodoro eruit. Bonannus de Navi oneraria in eo portu, loqutum Diodorum affirmat, quam Grecè historicus ΟΛΧΑΣ appellavit.

OLYMPIUM Opidulum in ora Syracusani portus, a celebri ejusdem nominis templo dictum. Aretius: *Olympi Fanum Jovis* MD. *pass. ab Syracusis cum opido Olympico, everso nunc, e parvo tumulo Anapum respicit; ubi Athenienses, multis post annis deinde Romani,*

mani, ut Thucydides, & Livius scripserunt, castra posuere, cujus adhuc extant columnæ. Tumulum appellavit Diodorus lib. 13. *Polichnam*, quasi parvam civitatulam, *quo*, ait Fazellus, *veluti loco, & natura munito & idoneo, Athenienses olim, & Romani deinde ob obsidionis commoditatem, castra ponere consueverant.* Uerba Diodori sunt. *Tum Athenienses cum parte copiarum locum portui imminentem occupant, Polichna, quam vocant, communita. Jovis etiam templum eidem muro includunt.* Scribit subinde Historicus lib. 15. Amilcarem Carthaginiensem loca etiam circa Olympium occupasse, ad Syracusas vallo cingendas. Templum porrò Jovis memoratur etiam Plutarcho in *Nicia*, Livio, & Valerio Maximo, quorum ille: *Propinquum erat Jovis Olympii fanum, quod capere, quia multa ibi aurea, atque argentea erant dona, cupiebant Athenienses.* Perstant hodie ejus fani haud procul dextera Anapi fluminis ripa in via, qua ad Pachynum itur, columnæ pręgrandes, & locus a Columnis appellatur; passimque alia quadratorum lapidum fragmenta occurrunt; unde universi templi magnitudo colligere datur. Perperam tradunt Scipionem Romanum Consulem amictum aureum Hieroni Syracusarum Regi, Carthagine expugnata, restituisse, quo templi hujus egregium Jovis simulacrum tegebatur, a Carthaginiensibus olim sublatum, quum Hiero longe ante Scipionem vixerit. Non inficior pallium illud aureum Hieronem Jovi forte consecrasse, quod Dionysius iniecto statuæ laneo panno detraxit, uti Valerius Max. est author; Pęni hinc illud sibi usurpare nequiverant, minusque Scipio Syracusanis restituere. Aliud quidem Jovis Olimpii templum in Acradina fuisse extructum ab Hierone juniore tradunt, ubi

ubi pulcherrimum Numinis simulacrum. Fazellus id *Urion* Grece dictum vulgavit; Bonannus vero, quum Grecis *Urion* finium esse Præsidem ex Brodeo in *Miscellaneis* eruat, Jovem *Urion* illum esse, qui in Olympio ad Anapum colebatur, adstruit.

ORINEUS fluvius, *Orinis* etiam dictus, & Thucidydi *Erineus*, hodiè *Miranda*, Sarracenis olim *Burgibeliusus*. Consule *Erineus*.

ORTYGIA Insula, quinta Syracusarum pars, quę & *Nassos*, una hodie superstes, ac veteribus celebrata, quod prima omnium incolis frequens, & Corinthiorum colonia, Archia Duce, aucta. Thucidydes lib. 6. *Syracusas Archias inhabitavit, ejectis prius ex insula Siculis*. Siculi nempe primi eam insulam tenebant, unde illos Archias suis cum Corinthiis adveniens, ejecit. Ante Siculos Sicani forte colebant: Siculi enim relicta a Sicanis loca occuparunt; Sicani autem juxta ea, quæ alibi dixi, gens indigena, originem ab Iberis trahentes, & a Sicano Rege nomen adepti, alios & Græcos pręsertim longe præcesserant. Fazellus *Ortygiam* ex Nicandro *Homothermam* dictam asserit; pauloque post diluvium Ætolos ex opido *Ortygia* profectos, omnium primos illam inhabitasse, nomenque ab eorum patria indidisse, tradit. *Licet sint*, subdit, *qui a Diana, cui eam sacrificavit Antiquitas, Ortygiam vocatam scribunt*. Cluverius a celebri in ea fonte id vocabulum natum prodidit, sed non alius ibi fons præter Arethusam. *Ortygia*, porro, verba sunt Scholastici Pindari ex Ibyco, *quum antea esset insula, postea per aggerem continenti adnexa peninsula facta est*. At Strabonis & Tullii ætate, ponte aliis urbis partibus adjungebatur. *Ortygia ponte cum continenti conjungitur*, scripsit ille lib. 6. & Tullius Verr. VI. *Per-*

vi. *Portus habet Syracusæ prope in ædificatione, aspectuque urbis inclusos, qui quum diversos inter se aditus habent, in exitu coniunguntur, & confluunt. Eorum conjunctione pars opidi, quæ appellatur Insula mari disjuncta angusto, ponte rursus adjungitur, & continetur*. Iterum aggere peninsula effecta ab Thucydidis Scholiaste inducitur: *In peninsula jacet Syracusarum urbs, hinc magno portu, illinc altero mari isthmum conficientibus*; perduravitque ad sæculum usque proxime elapsum, & ejus annum LXXXIII. quo Lignensis Principis Siciliç Proregis jussu bina fossa excavata, aquis undique circumflua, in insulam denuo evasit, duplici tamen ponte instructam. In ea dudum hæc videbantur memoratu digna. Fons Arethusæ, de quo uberius supra, Minervæ templum, quod sacris Christianis perpurgatum Princeps est hodie Ecclesia; Templum Dianç, cujus pauca vestigia in regione Rasalibra Aretii ævo perstabant; Arx, & ea ingens, a Dionysio Tyranno olim extructa, ex qua insula ipsa nomen quoque assumebat; ejusdem Dionysii domus magnifica illi adhærens; ambo Timoleontis jussu solo æquatæ; Hieronis domus, & Romanorum ævo Prçtorium, aliaque a Mirabella, Bonanno, Fazello, & Cluverio fuse descripta. De *Ortygia* rursus, ubi de Syracusis.

OXINIS Arx vetus, & casale, collis jugo imponebantur inter Militellum, & Francofontem, cujus radices fluentum *Cagatupis* vulgo dictum alluit. Supersunt reliquiæ, & substructiones; cryptæ nempe, & integrum arcis vestigium; Fazelli enim ætate hæc extabat. Tenuit Alaymus Leontinus ex donatione Rogerii Regis, indeque *Lanfrancus*, aliusque *Alaymus*, qui sub Aragonensibus vivebat. In Friderici II. censu

Oxinis dominus *Nicolaus Lancea* dicitur; ſubinde ad Alagonas tranſiit; hinc ſub Martino anno MCCCCVIII. juris erat *Rogerii Paſſaneti*, ejuſque uxoris *Violantæ Alagonæ*. Sub clientela aliquando gentis *Branciforti* ſtetit, a qua *Antonius Bonajutus* emit; Catanenſi ſubinde *S. Claræ* Monaſterio attributum ceſſit; noviſſime circa elapſi ſæculi finem Villarmoſæ dynaſtis ex nobili Tedeſchia familia ejuſdem urbis; hodieque *Petrus Thedeſchi* poſſidet.



Digitized by Google



ACHYNI PORTUS. Vide *Langobardum*.

PACHYNUS, Promontorium, orientale Siciliæ latus cum Peloro definiens, incolis *Caput Passarum*. Protenditur in Siculum, seu Jonium, Africumque mare; & Græciam, sive Peloponnesum, a quo cccc. pass. м. distat, prospiciens, meridionalem quoque plagam attingit. Speculam olim habebat turrim, hodie arcem muris prominentem; longe quippe ac late bis pass. м. ad austrum in mare effusum, atque ibi paulisper depressum ad sinistram curvato littore se flectit, peninsulamque efficit, ubi ad ortum procurrit. Peninsula hæc DC. passibus in circuitu patet, aspera, & salebrosa, altisque prærupta cautibus. Unde illud Virgilii Æneid. 3.

Hinc altas cautes, projectaque saxa Pachyni
Radimus

Et Ovidius Metam. 5. ait *Caput inde Pachyni*
Respicit Jonias protensis rupibus iras.

Isthmus angustissimus xx. vix pass. brumali tempore maris fluctibus utrinque sese obviantibus, sæpissime obruitur. Unde Nonnius Dionysius lib. 13. *Insulare solum* Pachynum appellat, & Lycophron in Alexan. *Scopulum insulare* dicit. In hac peninsula Arx elapso sæculo excitata munitissima; muralibus tormentis, Præfecto, & militibus instruitur ad Afros coercendos pyratas, & proximas insulæ oras tuendas, ubi etiam pro noxiis carceres habentur. Ad *Pachynum* Apollinis Libystini celebre templum, seu Refugium, de quo su-

ſupra. Quod *Motya* ibidem fuerit, depravatus, amanuenſis vitio, Pauſaniæ locus Fazello impoſuit, uti alibi dictum.

PALAGONIA. Opidum, *Paliconia* ex Palicæ vetuſtiſſimæ urbis reliquiis ortum juxta nonnullos habuit, quod in agro, ubi hæc olim ſita, proximo exurgat: Pirrus cum Fazello recens dixit, ſed Epiſcopo Syracuſano attributum vulgavit; diploma hinc Alexandri III. Eccleſias *Palagoniæ* ad Syracuſanam Dioeceſim pertinere innuit. Sedet contra occiduum æſtivum ſolem in declivi ſub colle, qui a *Cruce* dicitur, de quo alibi; Ampla hinc area circa opidi oras ſternitur, cum lapideo labro, quod aquas ſub Famæ ſtatua exilientes recipit; & baſi inſuper marmorea, cui S. Febroniæ V. M. ſimulachrum inſidet, veluti præcipuæ, & tutelaris patronæ. Ad ejuſdem areæ auſtrale latus princeps parochiale templum B. Apoſtolo Petro dicatum, ſatiſque excultum conſurgit, nec inde procul ſtant Dynaſtæ ædes decentiſſimæ. Contra fontem Chriſti Domini e Cruce pendentis Eccleſia Sacramentis etiam populo adminiſtrandis addicta; Ad aquilonem denique S. Antonii de Padua Minoritarum arctioris reformationis coenobium ab anno MDXCII. ædificatum, quod Pirrus Carmelitanis attribuit. Extra S. Febroniæ ędicula gręcanicis picturis veterum more ornata, cui Eremitarum cellulę adhærent. Intra pomoerium minores aliæ Eccleſiæ VI. incolarum fovendæ pietati patent. Degunt *Palagonenſes* ſub clientela nobiliſſimæ *Gravinæ* gentis, quæ variis titulis commendatur, & noſtri opidi Princeps in publico Regni totius Conventu XXXI. votum profert, annuos illius magiſtratus deſignat, gaudetque gladii poteſtate.

La

Lares in Caroli Cęsaris censu 300, capita anno MDXCV. computabantur 10419. Medio elapso ſęculo foci 427. capita 1579. Anno MDCCXIII. foci 816. animæ 1886, quæ diebus hisce nostris 1419. Parocho, sive Beneficiali animarum cura injuncta, Episcopi Syracusani Vicario in Clericos jurisdicendi facultas commissa est. Ab Leontinorum Præfecto, sive Instructori, quæ ad militiam spectant, administrantur, cujus urbis in Comarchia etiam venit. Latitudo demum est XXXVI. XV. Longitudo XXXVIII. XXX. designatur. Regiones in eo de Sarraceno, & de Tribus fontibus vetustatis adhuc varias servant reliquias; S. Joannis Ecclesia ad pass. M. antiquitatem quoque omnimodam præsefert.

Ad Dynastas quod attinet, jam supra indicatum ab Rogerio Comite *Palagoniam* Syracusanæ Ecclesiæ concessam, ad hujus diœcesim pertinuisse. Unde ad *Franciscum de Palagonia* devenit. Hunc in meo ad Fazellum Auctario, aliorum relatu, eidem opido nomen dedisse affirmavi; nunc melius re perpensa, Franciscum ab opido, cui prçerat, potius fuisse appellatum dico. *Rogerius Lauria* Hispanus Talassiarcha, qui sub Jacobo vixit, *Palagonia* donatus, a Friderico Jacobi fratre, & successore deficiens, opidum amisit, quod *Blascus Alagona* obtinuit, & filiæ *Violantæ Rogerii Passaneti* uxori attribuit; *Passanetus* idcirco anno MCCCXX. eidem Friderico Regi pro casali *Palagonię*, & aliis sui juris sacramentum dixit. Sed Regis animum mox offendit; *Philippus Vigintimillius* Francisci senioris filius obtinuit, & hujus hæres subinde *Philippus* alter. Sed Passanetis in Principis gratiam receptis, ad hos rursus opidulum devenisse puto, ob illorum quippe a Martino I. desciti onem, hic *Berengarium Cruillam* anno MCCCXCII. *Ubertinum* mox de *Grua* Rationum Magistrum *Palagoniæ* dominos consti-

Digitized by Google

stituit; quibus resigantibus, *Calcerando Samminiato* concessit. Contra hunc Vigintimillius jus suum experire anno MCCCXVI. conatus, caussa excidit; hinc sequentis sæculi anno VIII. Calcerandus in censu ejusdem Martini se beneficiarium pro *Palagonia* professus est; Mox *Jacobo Gravina* indicto pretio illam vendidit, qui, ut sibi ac suis caveret, a Riccardello, sive Rogeriello Passaneto, Rogerii & Violantæ filio, de quibus dixi, rata haberi, quæ Calcerandus gesserat, accuravit.

Fuit *Pinus* (sic enim vulgo appellabatur *Jacobus*, contracto ex *Jacopino* vocabulo, perperamque Baronus in *Amphith. Nob.* veluti duos *Pinum*, & *Jacobum* induxit) Regi a secretis, ejusque consanguineus, illustrissimæ gentis suæ apud Catanenses caput, rebusque domi, ac foris præclarè gestis notissimus, filiumque & hæredem *Carolum* habuit; unde *Hieronymus*, quem excepit *Joannes*; ex Joanne natus *Hieronymus II.* Hic ducta in uxorem *Contissa Moncada*, & *Cruillas* Francofontis dominus evasit, & Marchio, genuitque ex ea *Ferdinandum*, aliosque filios habuit cum Eleonora Isfar Corilles; gessit Proregis vices in Valle Netina, ac variis præfecturis se commendavit: Ex Ferdinando, & Beatrice Joenia complures nati, Hieronymus nempe, qui ad Minores Capuccinos Dei Spiritu ductus transit; *Laurentius*, qui sine prole decessit, & tertio loco *Berengarius*, seu *Berlingherus*. Feliciæ Gravinæ adjunctus, ex qua *Ludovicum* suscepit, primum *Palagoniæ* Principem, Philippi IV. privilegio anno MDCXXIX. designatum. Florenti hinc ætate decessit, ejus frater germanus *Ignatius* idcirco obtinuit; Calatravæ Eques, cui filius ex Æmilia Agliata procreatus successit *Ferdinandus*; huncque *Ignatius*

tius Sebastianus hæres est subsecutus, quem ille cum Constantia Amato conjuge genuerat. *Ignatius* primis nuptiis Anna Maria Bonanno ex principibus Roccæ. Floridæ sibi copulata, *Ferdinandum Franciscum* accepit, virum variis titulis commendatum. Fulsit enim Velleris aurei Eques, Victorii Sabaudiæ Ducis, & Caroli III. Borbonii Regis Aulicus ex XII. Regni Curatoribus, iterum Panormi Prætor, ex Magnatibus Hispaniarum, Supremi Consilii Siculi Neapoli Preses. Quibus in muniis prudentiam quammaximam dexteritati eximiæ adjunctam patefecit. Post eum *Ignatius Sebastianus II.* sufficitur, matre Anna Maria Luchesia natus. Hic patriæ Prætor difficillimis sane temporibus, quum scilicet, Messana, ejusque finibus peste afflatis, omnia timerentur; quocirca, voti caussa, ære suo Sanctæ Rosaliæ Virgini statuam e marmore in Templi Principis area Panormi dicavit, S. Januarii Cruce insignitus, ac Serenissimæ Amaliæ Reginæ Majordomus claruit, habuitque ex Margarita Agliata *Ferdinandum Franciscum II.* anno MDCCXLVII. *Palagoniæ* principem vocatum, qui cum Maria Joachima Cajetana Rahalmuti Comitissa nuptias celebravit. Hodie prole destitutus vivit. An *Palagonia* Panterga fuerit, mox videbimus.

PALATIOLUM Opidum non infrequens in colle contra Buxemium, valle, & fluento, intermediis, ad ortum hybernum & meridiem situm, prono quidem solo sedet, adeo tamen leniter acclivi, uti majori ex parte planis viis constratum videatur. In antiquis cartis *Placeolum*, vulgari nomine *Palazolus* dicitur. Quod *Acræ* olim fuerit, Fazellus, & Bonannus invictè, contra ac sentit Cluverius, substinent, & ali-

alibi Ego illis adhærens latius expendi; prominet enim illi a meridie tumulus exesis, asperisque rupibus constans, ad D. circiter passus, cujus vertex ęqua planitie extenditur, ambitus pass. M. *Acræmons* appellatus, & nomen idcirco adhuc hodie servans. Aditum illi prębet, ab ortu, & septemtrionibus angustum adjuncta moles, ardua & ipsa, circa occasum vero difficilis admodum ascensus via etiam patet. Latus orientale Cryptas exhibet, in quibus veterum sepulchra, in saxo excisa, illis non absimilia, quæ Syracusis, in S. Joannis, seu Pelopiis antiquissimis antris spectantur; e suprema autem area aspectus est, undique jucundissimus; nedum enim Augustæ portus, Megaræ sinus, Syracusana ora ad Pachynū usque veluti, sub oculis habentur, sed & ultra id promontoriū ad Terranovā, Africum mare, australeque Siciliæ littus eminus spectandū se præbet. Sub ejusdem areæ ingressum Minores Observantes Cęnobium dudum habuere, de quo inferius, S. Mariæ de Palatio vocabulum referens, quod illi inditum tradunt ab elegantissima Hjeronis domo; hinc vetus Græca inscriptio in superliminari ad cęnobii peristylium: ΙΕΡΩΝ, aliarumque characterum vestigia longa ætate corrosa, rudera, eaque ingentia, molis non vulgaris quadri lapides, & profundissimus limpidæ fluvialis aquæ puteus, nec non in eo subterraneæ viæ cuniculorum instar, ad proximum subjectum flumen ducentes, vulgari famæ fidem adstruunt. Sed illud potissimum, quod *Acræ* hic fuerint, evincit, quod per *Palatiolum* adhuc hodie rectum & compendiosum ad Gelam & Camarinam a Syracusis fit iter, a Dione olim dubio procul arreptum, contra Dionysium Tyrannum cum suorum manu ducente; quo quidem in itine-

nere illum *Acras* tenuisse veteres Historici produnt. Hinc Leontini, qui Epipolas pro Dionysio tuebantur, de patria soliciti, ne ab Dione occuparetur ad sua rediere; E *Palatiolo* enim facilis est ad Leontinos, obviusque excursus.

Quum porro *Patiori* opidi, ex Aretio, meminerit Ptolemæus, hujus loco *Palatiolum* surrexisse inconsulto ille tradit, qui *Acras*, ad Claromontem statuerat. Atenim nullum hujus nominis fuisse opidum olim in Sicilia Cluverius advertit; & *Patiorum* pro *Paropo* apud Geographum irrepsisse tradit. *Paropus* autem alibi situs. De Erbesso cogitat idem Cluverius; nam Erbessus a speluncis nomen sortitur, & apud *Palatiolum* magnam esse specuum multitudinem constat. Verum jam supra ad *Pantalicam* Erbessi situs cum Fazello designatus. Sed ad recens opidum redeamus, quod ab Hjeronis Palatio in Acręmonte posito dictum *Palatiolum* nonnulli perhibent. Princeps in eo templum Parœcialia jura habens, cum *Beneficiali* sive Archipresbytero infra collis latera æquiori situ constructum S. Nicolai titulum præfert, quod Bartholomæus Episcopus Syracusanus anno MCCXV. sacro linivit oleo. Memorat Pirrus S. Martini Ecclesiam præcipuam habuisse olim dignitatem, sed hæc hodie nulla est, passimque creditur sacram fuisse Castelli ædem, cui majoris titulus appingebatur. Subrigitur cętero S. Nicolai in declivi circa inferiores radices ad ortum, ibi enim frequentior tunc erat civium incolatus; ampla est & magnifica cum tholo, quam a latere large patens area ambit. Ab ea non procul Fratrum Prædicatorum Cęnobium in extremo ejusdem areæ, S. Pauli Ecclesiæ adhærens, ubi forum venale inferius, statui-

Digitized by Google

mam opidi oram in ortum sodalium insuper sunt cętus; minores demum Ecclesiæ reliquę ad quinque enumerantur. His, totique clero Syracusani Episcopi Vicarius jus dicit. Civibus per quatuor regiones S. Pauli, S. Michaelis, S. Sebastiani, & S. Antonii, juxta enarratas supra Ecclesias divisis, Magistratus Regni legibus respondens, a Dynasta designatus præest; qui in Civili Basilica decentissimè, eleganterque extructa publica munia exercet. Opidi stemma Castellum exhibet, sive Palatium. Id olim in Acræmontis vertice extabat, ruinis hodie undique patet. Censentur nunc lares 1410. incolæ 5937. Sub Carolo Cęsare 853. 5151. erāt. Sæculo XVII. 1324. 5136. decurrentis anno XIII. 1410. 5609. Clauditur in Bidenensi Comarchia, & sub Calatajeronis militari Pręfecto degebat.

Quisnam *Palatiolum* Northmannis insulam regentibus tenuerit, me latet; quum proximum Buxemii opidum Gaufridi Comitis Ragusæ, Rogerii filii, hęredibus subjectum cum aliis circa positis legamus, haud inani conjectura, nostrum quoque ad illos pertinuisse pronum est opinari. Sub Friderico Imper. & Sicilię Rege *Albertum Pallavicinum Palatioli* dominum invenio, mox *Peregrinum de Balos*. Primis Aragonensium temporibus *Alaymus de Leontino*, cum Bucherio, & Odogrillo tenebat; Inde *Guillelmus de Castellar* assecutus, filiis reliquit, qui in Friderici II. censu anno circiter VCCCXX. beneficiales pro eadem opido sese professi sunt. Ex his ad *Alagonas* transiit, *Mattheusque* ejusdem gentis, Martino regni potente, *Palatioli* Dynasta dicebatur. Ex eo & Bartholomæa Montaperto *Matthæucius*, vulgo *Mazziotta*, Blascus, & Joannottus, qui cum patre proscri-

pti, Eleonora, & *Berengaria* prodierunt. Huic postremæ, quæ & *Berlingheria*, Alberti Capocii Regi a cubiculo uxori, mater Bartholomæa *Palatiolum* donavit. Verum Martinus id opidum, Bibinum, & Bibinellum feuda *Pontio de Incensa* ob strenuam sibi navatam operam anno MCCCXIII. concessit. Hic in Hispaniis mortem obiit, *Frazzinia* unica filia hærede relicta, quæ in Siciliam remeare quum recusasset, juribus suis cedens, florenorum millia VIII. a Rege accepit, *Jacobo Campolo* Regni Quæstore summam suppeditante, qui sæculi XIV. anno ultimo in opidi dominium idcirco immissus est.

Quum vero Bernardo Capreræ *Campolus* adhæsisset, seque in opido & arce contra Regios milites munire constituisset, auxiliares illi copias Bernardus, *Bombardam, & pulverem de Bombarda*, uti mstum loquitur, misit. Tunc *Joanni Bardaxino Palatiolum* Martinus attribuit. Caprera in Regis gratiam recepto, *Campolus*, Capreræ interventu, defectionis pœnas evasit. Sed illi litem intendit *Eleonora Alagona*, Mazziottæ filia, si Mugno credimus, & anno MCCCCV. in judicio obtinuit, *Albarusque* de Heredia ejus maritus *Palatioli* Baro est appellatus, ac in censu Martini de anno MCCCCVIII. Sacramentum dixit; sed eo mortuo, secundis nuptiis Eleonora *Petro Ledesma* Regio Falconario copulata, in hunc jura sua transtulit, obiensque donationem confirmavit, quam Alphonsus, & Joannes Siciliæ Reges ratam subinde habuere, uti in Capibrevio Barberius tradit. In *Sicilia Nobili* eximii viri Francisci Emanuelis par. 2. lego ex Petro Ledesma, & Eleonora Alagona *Berengariam, Albaro Heredia* nuptam ortum habuisse, quibus

bus idcirco opidum obtigit. Sed *Albarum* longe ante *Palatiolo* potitum, ex Regiis libris jam ſupra adnotavi. Mugnos ex Eleonora Berengariam, Capotio nuptam, ex his Eleonoram, Herediæ uxorem prodiiſſe ſcribit, quibus ſine prole decedentibus, Petrus Ledeſma obtinuit; hinc Andreas Alagona, Blaſci, aut Joannetti filius. Barberius poſt Ledeſmam *Andream Alagonam* veluti legitimum hæredem ſuffectum tradit; laudatusque Emanuel anno MCCCCLXXIX. ab eodem *Andrea* initam poſſeſſionem refert, quod *Berengaria* prole caruerit. Fuit Andreę uxor Eliſabetha Santapace Pontio II. Lycodię Dinaſtę orta, ex quibus *Artalis*, & Belladama. Hęc Nicolao Melchiori Brancifortio conjuncta dotis nomine ampliſſimum Tavis feudum, a matre acceptum ei detulit; *Artalis* N. Bonajuto copulatus *Palatiolū* patris hęreditate accepit; unde *Vincentia* prodiit, e cujus manibus *Matthæus Luchesius* Suttafari Dynaſta opidum vindicavit, quod obnoxium, ob ęs alienum exolutum, illud haberet; anno hinc MDLII. *Palatioli* Baro eſt appellatus. At non diù *Franciſcus Sanctapace* Buterę Princeps pretio numerato illud ſuę adjecit ditioni; morienſque *Camillę* filię ex illegitimo thoro ſuſceptę cum Licodia reliquit. Duxit hęc primis nuptiis *Guttierram Velaſquez*, qui anno MDCXXII. primus *Palatioli* Princeps Philippi IV. Regis privilegio renunciatur. Quumque ex hoc conjugio nullus ſupereſſet, & Guttierres diem ſuum Lycodiæ clauſiſſet, cum *Mutio Ruffo* ad ſecundas *Camilla* nuptias convolavit, tulitque filium *Vincentium*. Hic Joannam Ruffo ſibi adjunxit, cui Scilla, Sinopolis alięque in Calabria Dynaſtię obtigerunt, genuitque cum ea *Franciſcum*, *Fabritium*, & *Tiberium Joſephum*. Ille juri-

ribus suis cessit, alter celebs obiit; *Tiberius* ex Agatha Brancifortia uxore *Guillelmum* suscepit anno MDCLXXXIV. *Palatioli* Principem appellatum. Hujus & Silviç de Morra filius Carolus Antonius Sinopolis Comes, Caroli Regis Aulicus vivit, qui cum Teresia Favar de Strada *Guillelmum Antonium* procreavit, ex Avi, ac patris renunciatione nostri opidi principatu & dominio donatum. Luce etiam hic fruitur una cum Lucretia Riggio ex Campifloridi principibus conjuge prole dives.

Ex *Palatiolensibus* Viri illustres memorant ur Paulus Bonus Minor Reformatus, qui primum inter Observantes non vulgari morum innocentia vixit, subinde strictioris vitç desiderio ad Reformationẽ transiit, hancque pene intermortuam in Sicilia instauravit. Piissime in Domino obdormiit Agrigenti anno MD... De eo Cajetanus in Idea, Aprile & alii. Bernardus Maria de Jesu Carmelita Excalceatus, humanis scientiis sacras adjunxit, & sui admirationem excitavit. In Mystica Theologia versatissimus Animarum in via perfectionis sedulus moderator, consilio, & prudentia plurimum valuit; Gradus omnes in sua Religione emensus, Generalis Procurator in Romana Curia claruit. Panormi anno MDCXCV. non levi pietatis opinione mortuus. Reliquit ingenii sui monumenta, de quibus Mongitore. Bartholomçus Ordinis Eremitarum S. Augustini virtutibus illustris, de quo Cajetanus, & Pirrus. Inter fçminas Hieronyma Scalza floruit Tertii ordinis S. Dominici morum candore, & vitç perfectione clarissima Obiit die VII. Septembris MCCXXXII. in patrio cçnobio tumulata. Ejus meminit Pirrus.

Palatioli latitudo gradum XXXVII. XXX. exçquat, lon-

longitudo xxxviii. xxxv. Ager quamvis anguſtus omnia ad vitę neceſſaria, atque ad delicias ſuppeditat, fontibus ſcatet, venationi aptiſſimus cenſetur.

PALICA Urbs vetus, hodie vix cognita ex ruinis, quę juxta lacum, ſeu Craterem *Palicorum*, & in proximo tumulo ſpectantur. Illius conditor Ducetius Siculorum Rex paſſim traditur Olympiadis LXXXI. anno III. ante Chriſtum Dominum ccccLIII. Diodorus lib. II. *Quum Lyſicrates Athenis Reipublicæ præeſſet. Ducetius Siculorum Princeps ex publico ærario magnis inſtructus opibus urbem Neas, quæ patria ejus erat, in æquum & apertum campum tranſtulit, & juxta fanum Palicorum urbem præclaram extruxit, quam a Diis jam dictis Palicen nuncupavit.* Et paullo poſt. *Ducetius itaque cum Palicam a ſe conditam muro egregio cinxiſſet, agros circumjacentes diviſit, quæ propter ſoli ubertatem, tum incolarum multitudine brevi mirum in modum crevit.* Quandonam porro defecerit, aut qua ex cauſſa non aperit, ſubditque tantum: *Non diuturna tamen fuit illa felicitas; diruta enim, ad hoc uſque tempus deſerta, & irreparata manſit.* Aratur hodie totus circa lacum campus; in proximo tumulo exigua ſubſtructionum veſtigia manent, teſtarumque copia, quæ veteris ædificii, ubi occurrunt, indubitata indicia præbent. Conſule Fazellum.

PALICORUM Fanum, ac Lacus. Utrumque deſcribit Diodorus lib. XI. qui ex Cluverio & aliis XII. quamvis in quibuſdam rem ſupra verum efferat, neque iis, quæ hodie experimur, ſaltem concordat, uti adnotabo. Ait igitur: *Fanum hoc tum antiquitate, tum religioſa veneratione, quod multa in eo rara, & ſtupenda eveniant, ceteris longe præferendum eſſe di-*

ctitant. Ac primo Crateres in illo existunt, amplitudine quidem non ita vasti, sed qui ex profunditate inenarrabili scintillas ingentes eructant, lebetum naturam referentes, vi ignea aestuantium, unde fervens aqua ebullit: Scintillæ hujusmodi nostra ætate, minime exiliunt; crater præcipuus unus est circa meridianam laci oram, sed alii minores non pauci sunt, ebulientis quoque lebetis instar. An aqua porro subsultans fervorem habuerit, incompertum dicit Historicus, quum nemo contingere fuerit ausus, exæstuationemque illam a Divina quadam necessitate provenire, falsa opinione sibi veteres persuaderent, sed sulphuris odorem præbere tradit, atque ingentem horrendumque rumorem edere. Atenim experientia constat, calorem nullum inesse lacui; Sulphureum vero terrumque odorem emittere, qui proxime accedunt, ultro fatentur; rumor nec ingens, nec horrendus exauditur, sed qualis passim lebes edit. *Tum*, prosequitur, *quod longe admirabilius, humor ille neque super effunditur, neque subsidit, sed perpetuo agitatus motu, stupenda profluxus vi, in altum se extollit*. Alibi in ejusdem naturæ crateribus id etiam evenire passim experimur, veluti in Salinis prope Paternionem. *Quum ergo tam Divina Sacrarium illud Maestas obtineat, sanctissima illic juramenta præstantur, & repentina Numinis vindicta pejerantibus incumbit; nonnulli enim oculis capti delubro excedunt. Ingens ergo religio loci efficit, uti arduis intrigati controversiis, quando superioris potentiæ injuria premuntur, juris tandem jurandi interposita religione, exitum caussæ inveniant. Fanum denique hoc per aliquod tempus inviolatissimum est Asylum, quod servis calamitate oppressis*

sis

sis, præsertim vero Dominos inclementes nactis, plurimum auxilia præbet; nec qui illuc confugerint, illos per vim heris abducere non licet; sed inviolati illic tandiu permanent, dum per benignos arbitros Domini persuasi, fide securitatis juramento confirmata, illis reconciliantur. Nec ullus memoriæ proditus invenitur, qui datam servis fidem violaverit. Situm vero est hoc templum in campo amœnissimo, & Deorum majestate dignum; porticibus atque aliis diversoriis magnificè exornatum. Polemon *lib. de Admirab. Sicil. Fluminibus*, apud Microbium lib. 5. Satur. cap. 19. enucleatius jurisjurandi explicat ritum: *Palici, qui dicuntur ab incolis, pro diis indigenis habentur. Horum fratres sunt Crateres humi depressi. Ad eos accedere, qui velint, ab omni scelere, atque contagione mundi sint ... Aqua eorum est turbida, ac colore simillima albæ illuviei, quæ humi sita est. Ea egeritur voragine æstuante, strepitumque edente, quales sunt gurgites sursum ebullientium aquarum. Sed & profunditatem horum crterum ajunt esse infinitam, ita, uti si boves incidant, vel asini bijugi in id præcipitentur, vel vaccæ insiliant, nusquam appareant. Ceterum jusjurandum hic Siculis est maximum, quo se purgant, qui aliquo crimine accusantur. Qui id jusjurandum exigunt, tabellam tenentes prædicant juraturis, de quibus rebus jusjurandum exacturi sint, qui jurat ramum vibrans, sertoque redimitus, & discinctus, simplicique tunica indutus, ac manu contingens craterem, verba præeuntis sequens jusjurandum peragit. Quod si verè ac bona fide in prædicta verba jurat, illæsus atque incolumis domum discedit; sin verò pejeret, ante ipsos Deos expirat. Quum autem hæc fiunt fidei jussores dant, qui Sacer-*

Digitized by Google

dotibus solvant expiationem, si quid novi eveniat piaculo obnoxiis. Cętero circa hunc lacum Paliceni inhabitant urbem, diis cognominem, Palicem. Apud Stephanum denique ita scriptum: *Palica opidum Siciliæ. Theophilus autem descrip. Sicil. lib.* XI. *Palicinum ait esse fontem, ac prope eum templum Palicorum, qui duo sunt genii, quos Æschylus in Ætna Tragędia filios facit Jovis, ac Thaliæ Vulcani filiæ. Silenus verò lib.* II. *Ætnæ Oceani filiæ & Vulcani. Dictos autem Palicos ajunt, quod quum mortui essent, rursus ad mortales redierint. Est autem fons quidam apud Palicos in Sicilia amplitudine decalinus; Is aquam eijcit ad altitudinem* VI. *cubitorum, tanta copia, uti spectantes putent campum eum omnem inundaturam; ac rursus in se redit. Est ibidem & sanctum jusjurandum; quippe is, qui jurat & quæ jurat, tabella inscripta in aquam immittit; quod si bona fide jurat, tabella innatat, sin vero pejeret, submergitur; atque evanescit, ipse autem comburitur.* Similia habet Aristoteles lib. de Mirandis. Ea porro ipsis veterum verbis expressi, ut iis fides habeatur; haud enim est dubium, vel falsa magna ex parte esse, aut ope dęmonis, ut cęcos falleret Æthnicos perpatrata. Sed & fabula Palicorum hujusmodi est Servio super illud Virgilii: *Pinguis ubi et placabilis ara Palici. Ætnam nympham, vel uti quidam volunt Thaliam, Jupiter quum vitiasset, & fecisset gravidam, timens Junonem, ipsam puellam terræ commendavit, & illic enixa est. Partus ejus postea, quum de terra erupisset, duo pueri Palici dicti sunt, quasi iterum venientes. Hi primo humanis hostiis placabantur, postea quibusdam sacris mitigati sunt, & eorum immutata Sacrificia. Inde ergo: Placabilis ara.*

Ma-

Digitized by Google

Macrobius quoque in Saturnalibus de eadem fabula libro citato. *In Sicilia Symethus fluvius est, juxta hunc nympha Thalia compressa, Jovis gravida, metu Junonis optavit, ut sibi terra dehisceret. Factũ est; Sed ubi venit tempus maturitatis infantum, quos alvo illa gestaverat, reclusa terra est, & duo infantes de alvo Thaliæ progressi emerserunt, appellatique sunt Palici, quoniam prius in terram mersi, denuo deinde reversi sunt. Nec longe inde lacus breves sunt.* Et post aliqua de templo, & jurejurando, necnon de vindicta pejerantium. *Hæc res ita religionem fratrum commendabat, ut Crateræ quidem implacabiles, Palici autem placabiles vocarentur. Nec sine divinatione esse Palicorum templum; Nam quum Siciliam sterilis annus arefecisset, divino Palicorum responso admoniti Siculi Heroi cuidam* (Hic Adranus creditur, uti alibi dicam) *certum sacrificium celebraverunt, & revertit ubertas, qua gratia Siculi omne genus frugum congesserunt in aram Palicorum, ex qua ubertate ara ipsa pinguis vocata est.* Advertit idem Macrobius Crateres a Siculis *Dellos* appellari. Nonnulli ex antiquis *Meneninum* fontem, quod a Menis bis pass. M. distat, dixere. *Nastia* hodie ab eruditis, Punico fortasse nomine, & *Namfictia* vulgo vocatur. Et si alii id nomen veteribus usurpatum dicant: Plinius enim *Ephintiam* sua ætate appellatum testatur. Notat Fazellus ævo suo, quum aliquando Sicilia ariditate laboraret, stagnum exaruisse, e cujus crateribus ventis solum furentibus, pulvis tantum efflabatur. Id aliis quoque temporibus accidisse tradunt. Aquas fornacula distillatas nigrum oleum, pingue, ac fœtidum reddidisse, qui experti sunt, affirmant. Halitus sulphurei, ubi exi-

tum

tum non inveniunt, terram circa vicinia concutiunt, sępe vero per aerem diffusi brutis infesti accidunt, quorum aliquot veluti vi attracta ad lacus marginem usque delata, post membrorum concussionem viribus destituuntur, & intereunt. Proximo in agro Favarotta persæpe iidem halitus circa aerem imagines rerum efformant, itinerantes, equites, rusticos soli cultores, armenta, caulas, pastores, aliaque his similia representant. *Palicos* in Paternionis, olim Hyblæ majoris, & in Adrani finibus constituunt nonnulli, quia juxta Symæthum illos Virgilius posuerit; Et Symęthus fluvius ille est, qui *Magnus* vulgo, ad utriusque opidi oras decurrit, uti suo loco expendam. Reliqua de *Palicis* apud Fazellum invenies.

PALORUM PORTUS. Navium statio est ad Pachynum promontorium veteribus innominata; male hinc Aretius cum portu Ulyssis, seu Odysseo, confundit, qui hodie Marsa dicitur, & post hanc nostram succedit ad australem oram. Contra *Palorum* portum, Fazelli ætate *Alga* appellatum, jacet Currentum insula, de qua dixi. Dirutæ urbis vestigia ad II. pass. M. intra mediterranea spectantur, perperam ab eodem Fazello Motyæ credita.

PALUS LEONTINENSIS. Consule *Leontina Palus*.

PANCALIS Tumulus supra Leontinos, quem veteres *Hieropolim* dixerunt. Alibi Ego quorundam opinioni adhærens *Hjeropolim* Tironis verticem esse scripsi, qui *Pancali* subjacet; hinc Aretius: *Urbi Leontinorum altus imminet collis Hieropolis nomine*. Memoratur etiam Cajetano in Vitis SS. Siculor; qui profundas illi subjacere valles, ac prærupta ardua latera esse

esse testatur, ab occidua præsertim cęli plaga. Gualterius plumbeas glandes inscriptas affert, ibidem effossas, unde olim mortalibus frequentem fuisse locum merito arguimus. Goltzius quoque illius meminit. Vide *Hjeropolis*. Philadelphus Mugnos de *Raptu Proserpinæ* fol. 51. more suo fabulatur, & in colle Polyphemum Gigantem nuptias cum Galathea celebrasse scribit. *Pancalis* feudum juris erat *Antonii Specialis* sub Martino Rege, hodie possidet gens Francica.

S. PANCRATII Casale olim, tertio lapide à Motyca, de quo Caraffa. Ibi ædes magna, antiqua, quadratis lapidibus tota, cum fornice, maximo labore extructa, parastitis columnis subnixa, eidemque S. Episcopo consecrata. Prope vetustissimi Monasterii vestigia, substructionesque spectantur, quod olim Ordinis S. Benedicti fuisse tradunt. Juris est hodie ager Majoris Ecclesiæ Motycensis.

PANTAGIAS Fluvius, *Porcarus* hodie, & *Bruca*, *Pantachus* Ptolemæo, qui inter Taurum promontorium, seu S. Crucis, & Catanam optime statuit. Celebris est Poetis Virgilio, Ovidio, Silio, Claudiano, & Historicis Thucydidi, Plinio, ac Vibio. Quorum primus de Ænea loquens ipsius ore lib. III. canit: *Vivo prętervehor ostia saxo Pantagiæ*. Ostium quippe amnis hujus in Brucæ emporio, seu canali, quod alibi descripsi, ad utramque ripam rupes habet vivas ad XX. ferme cubitos altitudinis editas; miscenturque illius aquæ maris undis per spatium M. circiter pass. ubi stagnant, & parvorum navigiorum stationem efficiunt. Silius verò lib. XIV. *facilem superavi gurgite parvo Pantagiam* describit; ubi enim pluvialibus aquis minime auctus decurrit, alveum habet, qui traiici perquam

fa-

Digitized by Google

faciliter poteſt. At Claudianus de *Raptu Proſerp.* lib. 2. *ſaxa rotantem Pantagiam* vulgavit; hyeme namque vicinorum collium Leontinenſium, & Porcariæ, quibus ſubjacet, torrentibus, imbribuſque auctus, tanta vi dilabitur, uti ſaxa quamplura ſecum trahat, delapſuque ſuo ingentem ſonitum reddat; unde & Pantagias dictus, veluti fragorem, ſive ſtrepitum edens.

Hinc Servius ad Virgilii locum *Hic fluvius*, ait, *Siciliæ, quum plenus flueret, implebat ſonitu totam pene inſulam, unde, & Pantagias dictus eſt, quaſi ubique ſonans.* Fabulam mox indicat, quam Fazellus recitavit. *Hic poſtea*, ſubdens, *quum Cereri quærenti filiam obſterperet, tacere juſſus eſt numinis voluntate.* Cluverius grammaticorum nugamenta, putidaſque fabulas dicit hujuſmodi etymologias, dictumque *Pantagiam* vulgavit, quod omnia ſecum trahat, devehatque. Oritur porro in agro Porcaria, de quo jam ſupra dixi, inter Leontinos, & Auguſtam ex fonte, cui nomen hodie *Alviri*, ſex ferme paſſ. M. ab oſtio recedente. In fundo autem Giſiræ margines egreſſus, agris ſuffunditur. Oſtreas ad fauces fert ſapidiſſimas. Aquæ ſulphureæ fontes, ibi etiam excipit, cujus bullæ albicantes ſupernatare videntur, necnon rivos ſibi adjungit, qui belzuarticos lapides progignunt. Supra hunc fluvium Lamis Megarenſis Trotilum conſtruxit, de quo ſuo loco dicemus. *Pantagias* ad oppoſitum littus in Catanenſem ſinum circa ſeptemtriones illabitur.

PANTALICA Urbs hodie deſerta, in rupe undique præciſa, & ſpeluncis referta pene innumeris, fluminibus cincta, & natura munitiſſima, inter Leontinos, ac vetus Netum, contra Sortinum ſita; Olim,

Er-

Erbessum, quemadmodum supra docui. Extabat Christi Domini sæculo tertio. In ejus hodie ambitu sola urbis porta, quę *Ferulam* ducit, ab hac enim v. pass. m. dissidet; arx disiecta, & ædes sacra, recentis tamen structuræ, majori ex parte prostratę spectantur. His exceptis nihil nisi oleta, cryptæ, dumi, aliaque aperti agri specimina sese oculis offerunt. Consule Fazellū.

PANTANELLA. Palus *Lysimelia*, quā alibi descripsi.

PANTANUS SALSUS. Vide *Leontina Palus*.

PANTERGA Opidum ad Syracusaram pertinens Diœcesim, memoratum idcirco in Pontificiis diplomatibus hanc describentibus, Fazello est *Targia*, cujus nominis turris hodie in agro post Scalàm Græcam sub veteri Thyca, & Epipolis septentriones versus. Aliis Palagonia. Carrera sub Rogerio Comite, ejusque filio Sortinum *Pantergam* appellari testatur. *Mem. Istor. Catan.* lib. 2. cap. 5. n. 15. idque ex veteribus cartis eruit. Sortinum aliunde recentis esse nominis constat, sed vetustissimæ originis, quod suo loco ostendam. Anno ceterum MCLI, in literis Gaufredi, quibus Prioratui S. Joannis Baptis. de Messana Ordinis Jerosol: bona aliquot elargitur, illud lego: *Placuit Domino nostro invictissimo Regi Rogerio mihi Gaufredo Olivario, filiam Henrici de Buglio, Galganam nomine, cum Panterga, & Scordia, uxorem dare.* Idem Fazellus, qui *Pentargiam* appellat, a Rogerio Comite, quod ab eo præter fidem descivisset, opidum funditus deletum tradit, & in historiis confirmat. Vide *Sortinum*.

PARADISUS Fons apud Syracusas, sub tumulo *Taracati*, qua hic meridiem spectat.

PASSANETUM Vetus Casale in agro Leonti-

no, haud procul Bideno, amplissimi fundi hodie ejusdem nominis turris, uti vocant. *Rogerius Passanetus* ejusque filii tenuerunt; Martini vero I. ævo *Henrici Statella* juris erat. Nunc ad *Michaelem Platamonem* Belmurgi Ducem pertinet. In Capibrevio post *Passaneti* Comitis descitionem Martinum Regem *Berengario Cruillas* MCCCXCII. attribuisse lego sub censu annuo *Chirotecarum de Comuscio*. Vendidit Berengarius *Jacobo Campulo* Regni Quæstori, hic vero *Henrico Statella*, quem juxta Barberium excepit *Riccardus*. Alibi lego, sub id tempus Blascum Passaneti Dynastam Alphonso Regi Neapolim eunti se comitem addidisse. Ex *Riccardo Catharina*, quæ *Gaspari Vigintimillio* nuptui tradita. Horum filius *Sigismundus*, unde *Joannellus* prodiit, qui anno MDXI. *Passaneti* Dominus dicitur; hujus progenies Catanæ perstitit ad sęculum XVII, quo ad *Canizarios* Feudum devenit, hinc ad Platamones.

PASSARELLUM novissimæ originis, elapsi nempe sæculi LXXVII. conditum opidulum, Villaauri aliter appellatum, in extremo Vallis Netinæ confinio, collium occupat plana juga inter Leonfortem, & Alimenam, austrumque respicit. Illius author *Joannes Baptista Santonufrius, & Grimaldi.* Unica ejus Ecclesia Parochialis S. Joanni Baptistæ sacra; subestque Archiepiscopo Messanensi. Dominum hodie opidani recognoscunt *Josephum Galletti* ex Marchionibus S. Marinæ, Verbimcaudi Dynastam, qui Margaritam Joannis Baptistæ filiam, uxorem duxit; gaudetque cum in agro Passarello, tum in aliis Artisinæ, Artisinellæ Mancipa, Canalis &c. jure gladii. Erant *Passarelli* lares 53. capita 176. ex censu habito sæculi hujus anno XIII.

PAS-

PASSARUM Promontorium, vulgo *Caput Passarum*, Cluverio *Passalo*. Vide *Pachynus*.

PASSUS FERRI. Fluvius *Eryces*, *Gurna-longa S. Pauli*; his enim & aliis nominibus, juxta decursum, quem peragit, appellatur, & sub *Ramacca* opidulo, *Passus Ferri* dicitur, seu *Trajectus ferri*, a quo non longe *Pons Ferri* esse oportuit, ejus est mentio in Alexandri Rom. Pon. diplomate, quo fines Syracusanæ Diœcesis describit.

PASSUS LATUS. Fons *Oani* fluminis, seu *Frascolaris* in montibus Ragusanis.

PASSUS PIRAINUS, hodie Feudum, dudum *Bellus Mons* Casale, & antiquis forte temporibus opidum, ignoti tamen nominis. Alibi Ego *Belmontem* nostris diebus *Belmontinum* appellatum tradidit quum duo sine surdi diversi, quamvis haud procul siti, eodẽque in agro; & *Belmontinus* a *Belmonte* longe majoris ambitus, nomen habeat. Collem *Passus Pirainus* complectitur, cujus in vertice antiqui opidi cadaver, substructiones nempe, laterum, testarumque fragmenta, non angusto tractu videntur; quin & sepulchra circa latera occurrunt. Collis ipse *Bel mons* appellatur, quo nomine Casale in Regiis libris adnotatum venit; neque inmerito; ex ejus enim summitate aspectus est per Catanensem planitiem jucundissimus. Eodem vocabulo donatur Fluvius, quem aliter *Cannarum* appellatum, & *Pass Piraini* Feudum abluere diximus.

PASSUS SYRACUSARUM *Marcellinus* fluvius, ita dictus, quod in via, qua Syracusas itur, trajectum habet, hyberno tempore difficilẽ, alveumque saxis innumeris obsitum magno impetu aquarum vi revolutis, quæ equis etiam valentibus offensionis potissimum sunt.

PATIORUM Vetus opidum ex Aretio, qui ad

Palatiolum illud constituit. Cluverius lib. 2. cap. 12. *Apud Ptolemæum*, inquit, *opidum inter Himeræ ostium & Ennam, longe propius tamen hanc, est Patiorus. Id ego vocabulum corruptum esse omnino suspicor a germano Paropus*. De Paropo autem scripserat, quod circa Thermas Himerenses situm opidum fuerit, concluditque: *Aretius immensum erravit Patiorum Ptolemæi interpetatus opidum nunc Palatiolum, xxiv. millia a Syracusis dissitum*.

S. PAULI Fluvius idem ac *Gurnalonga*, de quo in superioribus satis dixi, & olim *Eryces* appellabatur. Est *S. Pauli* pons in agro Catanensi ante Symethum opere arcuato supra *Galicim*. De eo etiam supra.

PELOPIÆ Cryptę, seu Viæ Cœmeteriales, vulgo a *S. Joanne* appellatæ, quas etiam descripsi.

PENTAPYLUM. Syracusarum vetus & celebre ædificium, quinas habens portas, uti ipsum indicat nomen, in Acradina, unde in Insulam, seu Ortygiam cives se recipiebant. Ita Cluverius & Bonannus. Perperam Fazellus Horologium illustre & excelsum fuisse tradit ex Plutarcho, opusque Dionysii Majoris dicit. Fuit in *Pentapylo* Horologium, cujus Plutarchus meminit in Dione, ex quo idem Dion concionem ad populum habuit, atenim *Pantapylum* alia erat ab Horologio machina. Aretius male in Thyca statuit: *Juxta Epipolas ait, locus erat, cui Penthaphilum nomen, ubi illustre Dionysii horologium fuit*.

PENTARGIA Opidum a Rogerio Comite delectum. Consule *Panterga*.

PERGUSA Lacus sub Enna, *Pergus* etiam appellatus, pass. M. V. ab ea urbe refugit, ac tria circiter ambitu continet. Celebris est Poetis, Claudiano sci-

Digitized by Google

scilicet lib. 4. ubi de Proserpinæ raptu agens Ennæ collem describit, subditque de *Pergusa*

Haud procul inde lacus, (Pergum dixere Sicani)
Panditur, & nemorum frondoso margine cintus
Vicinis pallescit aquis.

Ovidio Metam: lib. 5.

Haud procul Ennæis lacus a mœnibus altus,
Nomine Pergusa.
Sylva coronat aquas, cingens latus omne....
Frigora dant rami, varios humus humida flores.

Quæ sanæ opacę arbores circa lacum, an olim fuerint, an poetarum licentia confictæ, certò affirmare non ausim; vinetis enim hodie circumquaque ambitur, & colitur, quæ loco amęnitatem conciliant. An prope lacum quoque Proserpina rapta, uti laudati Ovidius, & Claudianus innuunt, Diodoro, & Tullio repugnantibus, qui in planitie prope urbem alta, & undique pręrupta, id accidisse affirmant, nec decernere velim, quum Historico potius & Oratori, quam Poetis deferre ęquum puto. Cluverius lapsos Ciceronem, & Diodorum tradit; sed Ennæ collem ipse non vidit, in quo extra urbem æquata agri planities cum aquis perennibus. Cętero profert Paruta argenteum numisma, quod Eruditi *Pergusæ* lacui attribuunt, in cujus antica facie Cereris caput cum spicis, & arboris ramusculo circa extrema colli; in postica vero Victoria supra anphoram sedens videtur, quę dextra coronam præfert, & sub amphora undę exprimuntur; est denique inscriptio ΠΕΡ. *Piscibus* lacus certe, sed colubris scatet ex Cluverio, qui Fazellum sequitur, subditque hic, *quod lino molliendo sit accommodus*. Verum hodie paucisque ab hinc annis, tanta copia

an-

anguillas presertim suppeditat, aliosque pisciculos, uti apud Ennam, & vicinia largissimus eorumdē sit quæstus.

PETRAPERTIA Opidum supra Flumen Salsum, olim Himeram ad austrum, vetustæ originis quidem, sed appellatione Græcorum, aut Sarracenorum tempora vix excedens: Castri sane molitio antiquissima, uti ædificia ostentant. Auxit Matthæus Barresius primus ejusdem Marchio anno MDXX. ornavitque postmodum Principatus titulo, LXIV. ejusdem sęculi Philippus II. Rex, unde in Regni Comitiis tertium tenet locum Dynasta, qui opidanorum regimen Præfecto ab se designato committit, Magistratus deligit, & vitæ ac mortis potestate gaudet. Sedet Arx in collis clivo, cujus latera occupat opidum, austrum ortumque respiciens. Ad radices uberrimæ, ac limpidissimæ aquæ ex æneis fistulis in subjectum vivarium profluentes agrum subinde irrigant, olerum cujusque generis, arboribusque frugiferis fęcundum. Arcis ædificia satis commodum, & amplum Dominis præbent domicilium. Aulæ enim sunt in eo laxiores, multiplici testudinato opere; in imis vero locis custodiæ & carceres, veluti caveæ in lapide excisę noxiis coercendis destinatæ. Porta ad aquilonem arcis ædibus subjacet, unde ad Mazaræ vallem est iter; rudera, & quidem ingentia prope cernuntur, de quibus inferius dicam. Lares sub Carolo V. 354. Petrapertia numerabat, incolas circa sæculi finē 2044. Pirri ævo focos 645. opidanos 2404. Sed in Regiis libris sæculi XVII. foci 577. animæ 2250. adnotantur. Anno MDCCXIII. lares 1351. incolæ 5310, & in novissimo censu 5500. Catanensis Episcopi jura, quo ad sacra recognoscit, qui suum ibi delegat Vices gerentem. Comarchia Platiensi conpręhenditur, & Cala-

latajeronis militiæ Rectorem recognoscit, æquites v. pedites xvii. sub signis educens. Unica porro est opidi Paræcia sub Archipresbytero, aliarum Ecclesiarum Mater, S. Mariæ de Stella dicata, *jussu & fortunis*, uti Epigrapha ad valvas docet, *Illustris Herois Matthæi Barresii, primi hujus cognominis Marchionis*, extructa haud procul Castello, occiduam respiciens oram. Ad majorem ejusdem aram B. Virginis in cęlum assumptę elegantissima videtur tabula; post illam in sarcophago e marmore Ligustico Barresiæ Eleonorę ejusdem Matthęi matris anno mdx. demortuæ, & filiarum conduntur exuviæ cum epigramate; hinc in medio Choro ingens viridis Cimilianii lapidis alius extat tumulus, Dorotheæ Barresiæ & Sanctapace cum epithaphio, & alius denique e marmore Petri Baresii primi Principis, postremique ejus gentis Dyna stæ non inelegans in eodem templo spectatur. Alia Deiparæ Ecclesia sub S. Mariæ de Cava titulo, cujus impoliti operis signum casu, uti ajunt, inventum, patratis prodigiis est clarum, ad ii. pass. m. ab opido surgit, cui xviii. kalen. Septembris incolę solemne festum veluti Patronæ principalis cum nundinis celebrant. Divæ Matris etiam ab Angelo nunciatæ Prædicatorum Cęnobium extra opidum olim anno mdxxi. laudatus Matthæus fundavit; unde ob cęli inclementiam ex noxiis subjecti amnis vaporibus, in S. Rocci aream translatum, stipem ad nova ędificia Antonella Matthæi vidua largiter suppeditante. Minorum, quos dicunt Reformatos, recens quoque est Domicilium S. Mariæ de Angelis appellatum ab anno mdcxxxvi.

Induxit olim Augustinienses Centuripinę Reformationis Marius Ferraguto, qui tamen post aliquot annos

nos abjerunt. Noviffime Tertii ordinis S. Francifci familia coaluit ab anno MDC. qui S. Mariæ de Auxilio dicatam ædem decenti cęnobio adjunctam habent. Decem in opido funt Ecclefiæ, in quibus quinæ Laicorum fodalitates, extra opidum vero cum tutelaris S. Marię de Cava quinque affurgunt. *Petrapertienfis* agri fertilitas tanta eft, uti paucis per infulam decedere paffim credatur, pafcuis enim ad pecudum armenta nutrienda abundat; fegetibus cujusque generis aptiffimus, vineis, frugiferifque arboribus luxuriat. Circa arcem & fub ea ingentes ædificiorum ruinæ fpectantur, nec inde procul veterum fepulchra frequentiffimè occurrunt, quæ quidem veftigia, cujus olim opidi fuerint, incertum. *Calloniana*, de quibus Antonini Itinerarium, hic ftetiffe Cluverius, & alii ex noftris cum Brietio autumantur. Marius Niger *Petram* antiquis hiftoricis memoratam, favente adhuc nomine, collocat. Sed Calloniana & Petram alibi ego ftatuo.

Dynaftarum feries ab Rogerii Comitis ævo juxta Fazellum deducitur, quorum *Abbo* primus recenfetur; huic enim attributa ab eodem Comite *Petræpertiæ*. Nifi, Capitis Orlandi, Caftaniæ, Randaculi, Frazani, S. Marinæ, & Summantini cafalia tradunt. Ex eo & Ademira Averfani Comitis filia *Joannes*, Rogerius, & Bernardus prodierunt. *Joannes* autem ducta in uxorem Albira ex Comitibus Avenelli *Abbonem* II. Henricum, & Matthæum genuit. *Abbo* ad facra aliquando Jerofolymorum loca invifenda contendens in piratas incidit, utque in libertatem fe affereret, ab Amato Cęnobii S. Marię Vallis Jofaphat Abbate anno MCCXXII. quatuor tarenorum millia mutuo accepit. Idem ab Friderico II. Imperat. Siciliæ Rege Caftrorum,

rum, terrarumque confirmationem exoravit, & Rahalmutum, Summantinum, aliaque casalia sibi quæsivit. Abboni *Matthæus* filius successit, qui Rodulphum Vallis Josaphat Abbatem Amati successorem in quarumdem *Petrapretiensis* agri terrarum possessionem, quas ejus pater Monasterio in vadimonium obtulerat, anno MCCXXVII. immisit. Hic quoque ab Rege paterna jura firmata obtinuit. *Joannes* Matthæum excepit, qui sub Jacobo Aragonio egregie meruit. Hunc sequutus Sicilia excedentem, Friderici II. Regis indignationẽ incurrit, bonisque idcirco anno MCCXCIII. spoliatur, in quorum possessionem *Petrus Henricus de Verge* inductus est: Verum *Abbo III.* ex Joanne progenitus Eleonoræ Reginę opera, cujus honoris filiam, seu Pedissequam Riccam Matinam sibi desponderat, in Regis gratiam restitutus, *Petrapretiam* assequitur; quam Henricus anno MCCCXX. dimiserat. Jam *Abbo*, uti hæres Joannis Cameranæ Avunculi, Castri & Opidi Militelli jura in agro Leontino, VIII. ejusdem sęculi anno vindicaverat, moxque Comitinum Casale, ubi Barrafranca hodie, pretio dominis exsoluto anno XXX. sibi comparavit, plenusque dierum vita excessit. Ex Abbone *Matthæus*, ex quo Joannes II. Ludovici Regis aulicus & Siculi exercitus apud Catanam Vicarius; Hic ex Marchisia Alagona Blasci filia *Abbonem*, & Blascum suscepit, moriensque primo *Petrapretiam*, alteri Militellum designavit. Confirmatus ille Martini Regis privilegio, ineunte sæculo XV. mortalis esse desiit. De Blasco jam dixi. Post Abbonem *Artalis* sufficitur, quem *Joannem* quoque in Censu ejusdem Martini de anno MCCCCVIII. appellatum video. De Hugonetto Artalis fratre egi, ubi de Barrafranca, & Comicino.

Digitized by Google

Artali anno MCCCCXXXVI. *Joannes Antonius* successor datur; Hic Bernardum fratrem habuit, quem Thomasium Fazellus appellavit, ambosque ætate sua superstites ex errore dixit. Forte ex Petro Ransano gentis Barresiæ genealogiam excribens, Dynastas Ransani ævo extantes, uti ille recensuit, sibi tempore æquales oscitanter protulit, furtumque suum detexit. Fuit Joannis Antonii uxor Catharina Martino Vigintimillio olim nupta, quæ Fontis murati Dominatum primo marito indulgente tenuit, eoque mortuo, in filium *Joann.* *Antonium II.* ex Barresio genitum anno MCCCCLXXI. transmisit. Patri hic præjacto anno successerat, duxitque mox primis nuptiis Lauream, ex Nicolao Subtili progenitam, secundis vero Isabellam Joan: Melchioris Brancifortii Mazarinensis Comitis filiam. Ex Laurea *Matthæum III.* procreavit, quem decad. 1. lib. 10. cap. 2. idem Fazellus sibi synchronum appellat.

Hic Carolo Cęsare indulgente, primus *Petrapretiæ* Marchio appellatus, et Barrafrancę conditor, ex Antonella Valguarnera *Guillelmū* & Beatricem filios habuit. Hæc Joanni Valguarneræ Comiti Assorensi nupsit, Guillelmus patri nonnihil infensus evasit, quumque aliquando ad mensam cum Pontio Lycodiæ Marchione, uxoreque ejus, & filia assideret, forma virginis captus, hanc in sponsam sibi postulavit. Annuit Pontius, dummodo Matthæi voluntas accederet, quam egre ab sene, tandem *Guillelmus* extorsit, optatisque nuptiis potitus, Velleris Aurei Eques claruit, ac post patrem infęlici fato periit, relictis *Petro*, Virginia, & Dorothea. Hæc Joanni Brancifortio copulatur, Virginia Francisco Campulo, *Petrus* honorum hæres remansit. Eluxit in eo eximia morum ho-

nestas viro principe digna, ingeniumque, quod a natura acre acceperat, scientiis excoluit, sed Mathesim præcipuè dilexit, & Astronomiæ studiis est delectatus. Hinc sibi ab ictu fulminis cavendum, persuasum ab ipsa juventute habuerat, cęloque tonante ad imas arcis suæ caveas descendebat. Anno tandē MDLXXI. quum iter ad Mazarinum pararet, turbatum advertens aerem, equo desiliens, domum regressus, mugientibus mox tonitribus, de genu flexus ante Christi Domini e cruce pendentis imaginem, velut jam moriturus veniam cum lachrymis implorans, ignita sagitta percussus interiit: Imum hodie conclave, ubi casus evenit, in fornice foramen præseferens, & fulminis vestigia, ostendunt. Primus ipse ab Rege Philippo II. anno MDLXIV. *Petræpretiæ* Princeps est dictus, Velleris Aurei Eques, Messanæ Strategus, & supremus Siculæ Militiæ Imperator claruit, totique Siciliæ ob virtutem innotuit. Habuit uxorem Juliam Moncadam ex Hadrani Comitibus ortam, absque prole; postremus idcirco gentis suæ Dynasta. *Dorothea* porro Joannis Brancifortii, uti innui, uxor post fratrem suffecta, *Fabritium* peperit; sed Joanne amisso, cum Vincentio Barresio Militelli Marchione nuptias celebravit; eoque etiam ante conscensum thalamum mortuo, cum Joanne Zunica Neapolis Prorege tertio sese adjunxit, subindeque Matriti vixit, & Philippi III. Infantis curæ admota, plenissimè tanto muneri fecit satis. Magnatibus ibidem accensa, post tot emensos gradus ad unicum filium Fabritium in Siciliam rediens, fato tandem in patria functa est anno MDXCI. ætatis LVIII. Nobili marmoreo tumulo & epigrammate honorata, de quo jam supra. *Fabritius* idem deinceps, ejusque hæredes *Petræ*

pretiæ Principes claruere, noſtriſque diebus *Salvator Brancifortius*, Michaelis, & Catharinæ Buterenſium Principum unicus filius hac Dynaſtia & titulo gaudet. Egit Siciliæ Regni nomine apud Carolum Regem Legatum, & Netinæ Vallis Legionis Tribunus vivit. Primis nuptiis Mariam Roſaliam Materni avi filiam duxit; ex qua Stephanum & Catharinam in infantia defunctos; ſecundis vero Mariam Annam Pignatelli ex Ducibus Montis-leonis ſibi copulavit, & cum ea Herculem Michaelem obtinuit. Jacet *Petrapretia* inter Platiam, & Calatanixectam ſub gradu longitudinis XXXVII. XLII. latitudinis XXXVII. XXII.

PETRA SERLONIS, vulgo *Petra de Sarno*, ad ſiniſtram Salſi fluminis orientalis ſub Agyræ montibus ſita. Eſt ingens, enormiſque altitudinis rupes, a *Serlone* Rogerii Comitis Nepote appellata, qui quum in Sarracenorum inſidias incurriſſet, paucoſque ſocios majori ex parte amiſiſſet, in hanc evadens rupem ſtrenue aliquando ſe defendit; teliſque tandem confoſſus glorioſe occubuit. Ad ejus radices caulas paſtores habent.

PETRA TAGLIATA in fundo, quem a Feſſima dicunt, Arx eſt ſupra firmum lapidem Fazello, & aliis memorata, ponte rupi proximæ adjuncta; Juris erat *Perronis de Joenio*, veluti pars Aydonenſis Dynaſtiæ. Hodie ad Galatis Principem ſpectat.

S. PETRI Caput poſt Ficalli littus, a quo Motycana ora auſpicium habet.

S. PETRI DE TRIMILIA, olim ordinis S. Benedicti Monaſterium cum caſali in agro Syracuſano, ab eaque urbe paſſ. M. III. diſſitum. Eſt hodie Epiſcopi ſuburbanum ſub Taracati ad auſtrum, ſeu ſub mo-

le,

le, cui olim Neapolis & Thyca insidebant. Ibi uberrimi aquarum fontes, vineta, viridaria, aliaque ad rurales delicias oblectamenta occurrunt. Veteris Monasterii non levia extant vestigia, & Ecclesia surgit adhuc decens, & commoda; Novas conspicuas ædes concinnandas jussit ad religiosum secessum Thomas Marinus Episcopus. Hic *S. Petri de Bajas* Cœnobium, quod Germanus Episcopus sęculo IV. construxit; cujus & meminit S. Gregorius Papa Epist. 34. lib. 6. stetisse, Pirrus tradit. In Donatione Tancredis Comitis habes Monasterium *S. Petri de Trimilia*, et in Alexandri III. diplomate *Casale Trimilię* memoratur.

PHALARIUM Castellum prope Gelam, hodie Terramnovam in colle, seu promontorio ab Ecnomo veteri etiam Castello prope Leocatam pass. M. V. dissitum ex Cluverio, & a *Falconara* recenti arce pass. M. II. Nomen habuit a celebri Agrigenti Tyranno Phalaride, quem illius dicunt conditorem. Meminit ejusdem Diodorus, hodieque jacet. Nec desunt, qui ubi nunc *Falconara* sedet, *Phalarium* stetisse conjectant.

S. PHILIPPUS. DE AGYRA. Vide *Agyrium*.

S. PHILIPPUS. Vallis in agro Motycensi. Ibi innumerę cryptę, ubi veteres habitabant, tum tristes etiam ędificiorum reliquię, & columnarum fragmenta spectantur, ignoti hodie opidi vestigia.

PHILOSOPHIANA GELENSIUM, Cluverio Platia, hodie celebre opidum, quod ad *Gelæ* fluminis fontes situm. Ejus est mentio in Romano & Antonini Itinerario; ubi sic perscriptum: *Catina Agrigentum mansionibus nunc institutis* M. *pass.* XCI. *sic*: *Capitonianis* XXIIII. *Philosophianis* XXI. *Callonianis* XXI. *Corconianis* XXII. *Agrigentum* XIII. Et in alio: *Catina, Capitonia*

niana xxIII. *Gelensium Philosophianis* xxI. *Petilianis*, xxvIII. *Agrigentum* xvIII. Consule infra, ubi de *Platia*.

PHOCEAS Castellum Leontinorum vetus, incerti situs in ejusdem agro, quod Leontini patria exules occuparunt, De eo dixi, ubi de *Leontinis*.

PHŒNICUS PORTUS prope Pachynum in orientali plaga, Ptolemęo memoratus, hodie *Vindicaris*, olim Plinio *Naustathmus*. Cluverius ejusdem nominis urbem & amnem ex Dori memorat; hic enim apud Stephanum *Phęnicuntem* amnem, unde urbs cognominis, enumerat, cum aliis insulæ civitatibus.

PIEDACIS Casale vetus in agro Leontino, quod cum *Randasino*, & Xirumi juris erat *Andreæ Rubei* sub Friderico II. Dum Martinus Regni potens esset, *Damianus Rubeus* illius dicitur dominus, qui & *Randasinum*, Xirumim, Realusium, & Calluram in eodem Leontino agro possidebat. Damiani hęredes feruntur *Aloysius*, *Joannes*, & *Blascus Barresii*, Militelli Comites, unde horum successores. Jacet hodie, sed adhuc reliquias servat, Ecclesiæ scilicet substructiones, ædiumque parietinas. Ecclesia autem nuper instaurata sub S. Petri nomine: diu devinctos fiduciaria mancipatione hos habuit fundos *Piedacim* scilicet & *Randasinum* S. Xaverii Societatis Jesu Panormitana Domus; huic porro pretio exsoluto, Hercules Michael Brancifortius hodiernus Militelli Marchio eosdem nuper redhibendos curavit.

PIPINUS Fons Erycis amnis sub Menis.

PIRATARUM Statio post Elori fluminis fauces. Vide *Fundus Muscarum*.

PISMA, ET PISIMOTTA celeberrimi nominis fontes & lacus, antiquis *Cyanes* ad Anapi fluminis dex-

dexteram in agro Syracusani portus, unde uberrimæ erumpentes aquę amnem conficiunt, in Anapum se exonerantem. Vide *Cyanes*.

PIXOTTUS statio in meridionali littore inter Puzalli, seu Ficalli arcem, & Siclensis fluminis ostia, cui prope est alia, quæ *Samuel*, ex Fazello appellatur.

PIZZUTA Turris, ut vocabulum est vulgare, idest *Acuta*, in agro Netino, post Assinarum seu *Falconaram* in humili tumulo, undique idcirco conspicua, orbicularis, ex quadris lapidibus compacta, solida, & in acutum desinens, adeout rectius dici possit Pyramis; quam post partam de Atheniensibus victoriam, deque Nicia eorum Duce, ad eumdem fluvium, Syracusani subrigendam sanxerunt. Distat ab ejusdem amnis ostio pass. M. II. ab Elorinę urbis ruderibus pass. M. a maris ora, & statione, quam etiam *Pizzutę* appellant, MD. Scio Carusium tradere: Pyramidem hanc ab Hippocrate Gelę Tyranno, quod ibi Syracusanos fuderit, fuisse erectam. Verum enim vero, quisnam sibi persuasum habebit: Syracusanum populum late per eamdem oram diu dominantem, & Gelam ipsam subjectam habentem, permisisse, uti monumentū in perennem Syracusani nominis ignominiam seris temporibus perstaret? Solo dubio-procul ęquassent, statimac regione potiti, victricia in eam arma inferrent. A quo enim tunc ipsis timendum esset? Ibi ad Kal. Junias diem festum idem populus celebrababat, quod Aretius adnotavit.

PLAGÆ CALVISIANIS, MESOPOTAMIO, PLAGEREO, sive *Cymbæ*. Antonini Iter sic habet: *Ab Agrigento per maritima loca Syracusis* M. *pass.* CXXXIII. *Dædalio* XVIII. *Plintis* V. *Refugio Chalis* XVIII.

Pla-

P*laga Mesopotamio* xii. P*lagareo*, *sive Cymbæ* xxiii. *Refugium Apolline* xx. *Plaga Syracusis* xxxii. Plagas, & Refugia intelligi debere, tradit Cluverius, mansiones, seu stationes in littore, ad eorum opidorum, quorum recenset nomina, agrum spectantes. *Dædalium* igitur ex eodem intelligitur Castellum a Dędalo extructum; P*lintis* sumitur pro Phintia, de qua alibi dicam. *Refugium Chalis* pro statione Gelę proxima; *Calvisiana*, quum id sit opidum juxta Cluverium ad Hipparis fontes, vulgari nomine *Comisus*, littus agri Comisani, seu Yhomisani erit P*laga Calvisiana*, de Mesopotamio alibi statui, quod mansio inter Hipparim, & Oanum fluvios parum inter se diffidentes, fuerit; Latine enim *Mesopotamio* sonat *Interamnium*, idest inter duos amnes. *Plagerea* sive *Cymbæ* demum Hyblæ Herçę littus creditur Cluverio; in Regio enim exemplari ejusdem Itinerarii, & in aliis pro *Cymbæ* legit Surita: Hybla. At illud hic rursus moneo, quod supra adverti, ex *Itinerariis* nempe, quæ amanuentium vitio mendis statent innumeris, vix posse legitimos locorum situs depręhendi, ubi potissimum corrupta sunt nomina. Laudandus quidem Cluverius, qui hęc emendare studuit, sed aliquando res illi minus feliciter cessit.

PLATIA mediterraneum illustre Opidum ad latitudinis gradum xxxvii. xx. longitudinis vero xxxv. ac media idcirco ferme Sicilia positum, acclivem occupat molem, ad cujus radices Gelę fluminis fontes erumpunt; hęc autem editis aliis collibus amęnissimis, & *Armerino* prę cęteris adeo cingitur, uti tumuli speciem pręseferat. *Platium* nonnullis dicitur, P*latæa* & P*lutia*. Stetit quidem vetus civitas in eodem *Armerino*, mi-

alios secutus appellavi; nam recens XII. sęculum non excedit. Regionis verò circumpositę tanta est jucunditas, & gratia, uti ex Cluverio Herçi montes ab hinc sese extendere ad Pelorum usque credantur; Regiis idcirco in libris *Opulentissimæ* Civitatis titulum *Platia* meruit, quin & *Plutiam* dictam volunt Scriptores gentici a ΠΛΟΥΤΟΣ quod Græcum nomen Latinis *Opulentiam* significat. Vetus hinc stemma figura erat virilis galeata, Amaltheæ cornu sinistra, dextra ramum viride præferens. Jam de antiqua origine, non una est eorumdem scriptorum opinio. Quod Gela fuerit olim mediterranea, sive Barbara, ad Gelæ nempe fluminis scaturiginem, antequàm Gelam prope littus Rhodii, aliique ex Græcis condiderint, nonnulli tradunt. A Boeotis excitatam, alii evulgant, qui patria aliquando extorres facti, quum sedes sibi quærerent in Sicilia, *Platæam* coluere. Boetorum quippe urbs pręcipua, *Platea* fuit, quam Thebani, Astæo Athenis principatum obtinente, totam præter Deorum templa exciderunt, civibus inde ejectis, uti Pausanias lib. 9. testatur. Hæc Boeotorum colonia *Versus*, *Algambus* & *Chiarandanus* Gelam mediterraneam auctã evulgant, mutatoque nomine *Platæam* appellatam adstruunt. *Plutia* subinde opportuno vocabulo ob loci, & agri pręstantiam vocari cępit, cujus meminisse Tullium in Verr. 3. passim historici scribunt; hinc Clariss. Patinus Coloniæ numisma in Hadriani Cęsaris honorem cusum cum epigraphe PLV. nostræ Siculæ *Plutiæ* adscribit, quamvis nulla inter Colonias *Plutię* mentio usquam eluceat. Tullii porro verba hæc sunt: *Enna mediterranea maxime est. Coge, ut ad aquam tibi frumentum Ennenses metiantur, vel Plutiam, vel Alesam, vel Catinam, loca inter se maximè diversa, eodem*

die, quo jusseris, deportabunt. Ad quæ Cluverius: *Hic quia opidum Siciliæ erat, vulgari vocabulo Piazza dictum*, xv. *circiter millia ab Enna versus meridiem dissitum, hoc ipsum Plutiam esse Ciceronis, nonnulli nostri sæculi conjecerunt geographi. Verum non adverterunt illi, ad aquam deportandum fuisse frumentum, quod longe alienum est à Platiæ situ, ut quę in celsioribus atque aridis, nisi qua fontes scaturiunt, locis posita est.* Concluditque post multa, tria Siciliæ voluisse littora, atque maria innuere Ciceronem, Africum, Siculum, & Etruscum, ac tria item loca nominare ad Etruscum Alesam, ad Siculum Catanam, ad Africum Phintiam, cujus vocabulum facile in Tullii exemplaribus corrumpi potuit in P*lutiam*. Hæc ego retuli, non eo animo, quod quidquam celebri Civitati velim honoris, aut vetustatis detrahere, sed eximii scriptoris conjecturas lectori æquissimo exhibendo, rem illius judicio subiicere. Non enim desunt apud Chiarandanum, qui Cluverii convellunt, exufflantque rationes. Denique recentiores proferunt numos, in quibus inscriptum: P*lutia olim* P*latia*, eorumque unum adhuc asservatum Cives ostendunt, veluti insigne monumentum; Cæterò nostræ urbis populos suppetias Marcello Rom: Consuli cum aliis Siciliæ detulisse etiam affirmant, quamvis apud Silium, qui omnes singillatim recenset, sub quo veniant nomine, non constat.

Seris temporibus, Northmannorum virtute a Sarracenorum tyrannide insula vindicata, P*latiæ* nomen revixit. Complures enim ex Rogerii Comitis sociis, e Langombardiæ partibus sub ejus signis militantes, vacationem petiisse tradunt, quibus *Armerinus* mons inha-

inhabitandus est datus; illius enim verticem læta planities extendit, latera, ac radices, necnon circumstantes valles, & colles tanta soli ubertate, totque deliciis luxuriabant, uti alia per totam Siciliam regio amenior vix inveniri poterat; opportunus idcirco locus novis colonis adeo visus, sicut brevi, aliis confluentibus ejusdem nationis militibus, in justum evaderet opidum. Ferunt alii, quod nondum subactis, atque ex infidelium manibus ereptis Enna, Butera, aliisque munitissimis opidis, de *Armerino* colle, & opido in eo pene derelicto restituendo, Rogerius cogitaverit, uti in ipso securum perfugium, contra hostes ducens, haberet, ac Langobardis custodiendum tribuerit, qui sedes ibi suas postmodum statuerant. Hos inter *Placentini* memorantur, qui *Platiæ* nomen novo indidisse opido a *Placentia* dicuntur. Denique non desunt, qui *Platiam* Sarracenorum ævo adhuc perstantem inducunt, victricibus Rogerii armis inter primas cessisse, eamque veluti securo loco sitam, Comitem subinde, contra hostium incursus novis munitionibus tutiorem redditam, strenuis suis militibus sedem designasse. Tunc Rogerius idem acceptum, uti ferunt, a Nicolao II. Romano Pontifice vexillum sericum, cum Deiparæ imagine, in perenne erga commilitones dilectionis suæ argumentum, eorum urbi dono dedit; quod ad hanc usque ætatem religiosissimè cives custodiunt, seque eidem Virgini sub ipsis ortus sui initiis hujusmodi tessera addictos profitentur, a qua vicissim innumeris beneficiis, & gratiis, veluti singulari Patrona, non semel affecti gloriantur. Quum porro Guillelmus hujus nominis primus impotenti dominatu, atque insigni avaritia Siculorum animos offendisset, procerel-

que complures in eum conjurassent, quorum agmen Rogerius Sclavus ducebat; hunc, sociosque aliquando *Platienses* excipientes, Regis iram incenderunt, ejusque animum adeo offendere, uti hic coacto exercitu, majori ex parte Sarracenorum, ad *Platiæ* excidium illos immiserit. Regi primū occurrisse tradunt Alexandrum Bajulum Vezelli filium, qui Patris merita et sua recensens, ne immeritam urbem tam grandi supplicio afficeret, pene ab irato Principe impetraverat; gregarii tamen milites præda allecti, tumultum excitantes ad vindictam ruebant: Hinc Electus Syracusanus & Sylvester Marsici Comes, uti Falcandus innuit, destrui urbem non oportere ob paucorum scelera, maxime quod omnes ex ea proditores aufugerant, aliisque rationibus Regi persuadere conati, egre demum a sententia illum avertere; ubi impetrasse visi sunt, ac Rex ipse ab urbis excidio se temperaturum spopondisset, militari nihilominus licentia irruens exercitus, igne, ac ferro *Platiā* absumsit, devastavit, civesque hac illac effugere compulsi sunt. Nec diu eodem Guillelmo superstite, ac laudati jam Alexandri Bajuli opera, qui primus inter *Platienses* erat, in altero tumulo, nonnisi pass. M. II. circiter ad occidentem dissito, nova urbs moliri cępta, in quam cives revocati, arcem, męnia, turres, suarumque larium ædificia, e veteri patria, Regio urgente decreto, lapidibus translatis, ornamentisque traductis, nobiliori schemate posuere. Id alii accidisse sub Guillelmo II. injustæ eversionis miseratione permoto, rectius consignant.

Quam porro habitandam susceperunt, occidua primum fuit regio, hinc reliquæ; mox Castellinæ subur-

burbium circa vetus castellum, cujus extant ad S. Francisci cœnobium reliquiæ, addiderunt; sed præcipuam parœcialem Ecclesiam Sancto Martino Episcopo sacram voluere. Deinceps suos erga Principes sese præ cæteris *Platienses* commendarunt, cujus rei insigne præbent monumentum Siculi Annales; Roberto enim Duci, Caroli Andagavensis filio, *Platiam* summis viribus, ad S. Georgii oram & ubi Castellina, ac Patris Sancti frequens ædificiis regio hodie extenditur, positis castris, obsidenti, fortiter cives restitisse, ac sub Guillelmi Calcerandi, Palmeriique Abbatis ducatu hostes turpiter fugatos a suis finibus exegisse, perhibent. Friderico II. Aragonense *Platiæ* procerum concilium convocatum produnt, ut Jacobi Regis Legati, communi Siculorum consensu, congruo cum responso in Aragoniam remitterentur. Saccæ hæc comitia coacta Carusius perperam scribit. Joannem hinc Infantem Randatii ducem adversus Palicios arma moventem egregie adjuvisse tradunt. Tunc temporis, dum anno MCCCXLVIII. sæva lues insulam vexaret universam, & *Platiam* quoque afflatam in vastitatem adduceret, faustam imaginis Deiparæ in celebri Rogerii Comitis vexillo depictæ inventionem evenisse vetus traditio docet. Illam profugi cives olim in veteri patria inter rudera occultaverant; sed qui locum sciebant, nusquam ad suos reduces, aut longinquis in partibus fato cedentes, ignotam omnino, obscuramque posteris latebram reliquerant. Quum igitur pius Sacerdos *Joannes Candilia*, patriæ suæ ærumnas enunciato anno defleret, opportunumque a benignissima Virgine, & Patrona auxilium efflagitaret, eadem in somnis illum admonuit, ac diu conquisitam, op-

optatamque sui iconem in veteris *Platiæ* occulto loco delitescentem ostendit. Catanam ille ad Episcopum contendit, ejusque venia sollemni civium suorum supplicatione indicta, designatum in vetustæ urbis parietinis latibulum invenit; Vexillum post annos CLXXXIV. integrum, illęsumque offendit, atque, uti ferunt, ardentem adhuc lampadem simul reperit. *Tunc sacrum illud linteum sericum, in quo Virgo erat depicta*, inquit Pirrus, *ligneæ tabulæ infixum variis decoratum ornamentis ad novam Platiam transtulere.* Exinde ab omni contagiosa lue libera evasit civitas, quæ voti caussa, templum in tumuli vertice dicavit, eique supra alias Ecclesias primatum attribuit. Jam turbis aliquando, & factionibus Palicorum, Claromontanorum, aliorumque Dynastarum, qui totam insulam divexabant, immixtos *Platienses* legimus; exulesque cives ex improviso patria potitos, Adamonum Capicinum illius pro Ludovico pręfectum ad fugam capiendam adegisse. Sed in Friderici III. tandem partes concedentęs, ejusque in graiam recepti, hunc diu intra męnia soferunt, a quo variis sunt privilegiis & gratiis affecti. Martino regni potente, rursus abducti iis adhæsere, qui Regio nomini infensi, arces, & opida occupabant. Verum Nicolai Brancifortii civis suasionibus ad mentem revocati, rebelles ejecerunt, eumdemque Principem liberalissimum experti, quum in dies nova populi accessione crevissent, sæculo XV. ineunte, aliud ad meridianam oram suburbium amplissimum excitarunt, recentemque dixere civitatem, ad veteris discrimen, quæ męnibus præcincta. Alphonsi denique Regis ævo Petrus Infans ejus frater *Platia* cum Neto donatus, illi aliquando præfuit, quo mortuo ad *Damanium urbis* re-

rediit,ac concinnando in meliorem formam Patronæ Virginis templo, tota incubuit.

At potiora habuit Ecclesia hæc anno MDXVII. incrementa, quo novis beneficiis Deiparæ intercessioque *Platienses* devincti, magnifico molimine illam sub nomine Assumptionis fastigiatam voluere, Bonfiliæ Calaxibetta, nobilis ac piæ matronę fortunis potissimum adjuti, quas insigni plane magnificentia Marcus Trigona, & Laurea de Asaro uxor circa ejusdem sæculi exitum cumularunt, dote pro Collegio Canonico satis pingui designata. Clementis itaque VIII. decreto anno MDCIII. Romæ emanato, Alumnis XXIV. nec non IV. dignitatibus, uti vocant, & his postremis cum animarum cura delectis, sacer famulatus, & prodigiosæ Imaginis cultus quotidie est commissus; quibus alii V. adjuncti, ac XII. inferiores, seu secundarii etiam insigniti, chori, & altaris munia obeuntes superadditi. Virginis porro Icon multis ex auro lapillisque pretiosis effulgens ornamentis, insigni ferculo in ara maxima satis divite custoditur, civibus nedum, sed exteris etiam in summa veneratione habita. Æris campani turris, quæ templum adeuntibus ab occasu dextrorsum occurrit, decus non vulgare conciliat; magnitudine enim, elegantia, & artificio undique superbit, ac primas in tota regione habet. Molis universæ ejusdem templi externus prospectus ad ortum, circa majorem absidē ad arduam celsitudinem, juxta loci naturā subrigitur; ab occasu vero ubi portæ, atque ex aliis plagis spectatu etiam dignissimus; tholus magnificus; cultus interior splendidus; sacella decentissima; suppellex opima; tota denique talis citra dubium censenda, quæ cum insignioribus insulæ universæ sacris ædibus comparetur. Unica est paræcia, cui sex aliæ suffragan-

gantur, S. Martini scilicet, quæ uti dixi præcipua dudum fuit opidi, & novæ jam descriptæ locum cessit, & S. Nicolai ad occasum; S. Stephani ad ortum; S. Mariæ de Odigitria ad austrum; S. Venerandæ ad aquilonem & S. Philippi de Agyrio, in quibus omnibus ab designatis per Episcopum Catanensem presbyteris, sacramentis populo ministrandis navatur opera. Sed circa extremas occiduas oras Christi Domini e cruce pendentis insigne simulacrum in S. Dominicæ Ecclesia est *Platiensibus* quoque in singulari veneratione, piis enim populi supplicationibus qualibet feria VI. per annum dudum frequentabatur; religiosa hinc pietas Matthæi Calaxibettę illam XII. Canonicorũ cetu ibi instituto, sub Pręposito, anno MDCLXXV. frequentiorem reddidit, ultimis tabulis mandavit. Quumque opus dilatum esset, Andreas Rigius Catanensis Episcopus XCVIII. exequendum jussit.

Pirrus de *Platiæ* Religiosis ædibus: *Societas Jesu*, inquit, *Domus professa ab anno* MDCIII. *excitata a P. Jacobo de Dominicis Præposito Provinciali, post annum* MDCXIV. *ære publico Collegium institutum est, sub vocabulo S. Ignatii, & S. Mariæ de Conceptione.* Splendet hodiæ ædificiis, ac medium pene occupat in latere meridionali; unde ad princeps templum ascensus patet. *Clerici Regulares*, prosequitur ille, *Theatini nuncupati anno* MCCIX. *in templo Sacramentali S. Laurentii recepti sunt*; sed cura paręcialis ex hac Ecclesia ad illam S. Stephani translata est. Loco eidem S. Mariæ de *Gurgite nigro* olim nomen fuit, ob aquæ sulphureæ fontem, quæ periit; hinc a *Patre Sancto* vocabulum illi appictum, quod vir sanctimonia clarus ædis ejusdem S. Laurentii incola fuerit; & solitariam, ubi vitam egerit. Æqua ante hanc lata planities extenditur, nundinis cele-

le-

Digitized by Google

lebrādis destinata, quæ ad xviii. Octobris diē, Regis Martini privilegio, sūma totius regionis frequētia habētur.

Casinensium Monachorū S. Mariæ de Fundrone Monasterium in venali urbis foro, & S. Rocchi Ecclesia hodiedum conspicuum, Ennensem olim agrum ejusdem nominis occupabat; quumque diu ibi stetisset anno MDCXXII. una cum Deiparæ marmorea eleganti statua translatum est, de quo in superioribus actum. Illius Abbas inter Proceres Ecclesiasticos votum profert. S. Gregorii Prioratum in agro Beliæ ad III. lapidem statuit Bartholomæus Farinatus, fuisque S. Benedicti Monachis attribuit, qui brevi defecerunt; subditur hinc hodie Majoris Catanensis Ecclesiæ *Capitulo*; Celebrior S. Andreæ Ecclesia cum adnexo Canonicorum Regularium S. Augustini cęnobio, ad jactum ballistæ circa aquilonem extra muros. Author perperam Simon Rogerii filius a nonnullis vulgatur, quum alter Simon fuerit Policastri, & Buteræ Comes, ejusdem Rogerii ex Flandrina filia Nepos, anno MXCVIII. Prior habet in Comitiis locum, & a Rege nominatur, qua dignitate Joannes Filingeri nunc gaudet. Defecisse Canonicorum obsequium in hoc templo ab anno circiter sesquimillesimo testatur Pirrus, quod in crucis formam assurgens, ad aram minorem S. Agathæ V. M. antiquam elegantissimam tabulam habet. Sed Canonicorum ædes undique ruinosæ veteris cęnobii vixdum vestigia servant. Prædicatorum fratrum familia tertium ex Siculis habet ab anno MCCXXII. *Platiæ* Monasterium, B. Reginaldo S. Dominici socio authore, quem idem Patriarcha Romæ degens in Siciliam transmisit. Hic diu egit, vitęque meritis, ac prodigiis innotuit F. Vincentius

Digitized by Google

Pyſtoria, ſummis laudibus ab Ordinis Chroniſtis commendatus, qui S. Vincentii Ferrerii voce, medius gladio diviſus, flammiſque aſſatus, ad vivos fuit traductus. Occupat locum leviter acclivem, cui vallis a meridie ſubeſt, noviſque hoc ævo ædificiis concinnatum vidimus; Habet ejuſdem S. Vincentii Sodalitium adnexum, cujus in Eccleſia egregia Divi tabula conſpicitur; Deiparæ quoque a *Gratia* prodigiis illuſtrem iconem ſervat, pluresque alumnos ſanctimonia, & doctrina illuſtres fovit, de quibus ſuo loco. Ab anno MCCCXVIII. ex *Vvadingo* locum habuit Platię Minorum Conventualium colonia, quæ circa aquilonarem urbis plagam in collis crepidine ſatis amplum, conſpicuumque, cū epiſtyilio cęnodiū, & Eccleſiam elegantiſſimam ſibi conſtituit ſub S. Franciſci titulo. *Cagliola*, fundationis annum MCCXCII. recognoſcit: *Ex cęnobii tabulis* ait, *Franciſcanus ordo ad arcem hujus civitatis coloniam firmavit anno* MCCXCII. *Ingruentibus inde tot Regum certaminibus, a Martino in eum, in quo nunc degunt, translati ſunt fratres, proventu trium nummorum aureorum in ſubſidium aſſignato. Hic floruit B. Simon Aymonis, quem Aumonum alii vocant, cujus caput in ſacrario veneratur*. Verum hæc de prima fundatione ad arcem *Cagliolæ* relatio minime cum iis cohæret, quæ paſſim cives tradunt. Eo enim loci, ubi nunc illud ſedet, veterem ſtetiſſe arcem affirmant. Martini itaque tempore, uti conjecto, novę arci condendę ſitum Minores Fratres ceſſerunt, ipſi vero, ubi vetus ſurgebat, ſe recepere. Sub ejectum illi ab orientem idirco ſuburbium, & porta a Caſtellina dicuntur. S. Mariæ de Jeſu eorumdem Minorum de Reformatione nunc, dudum de Obſervantia, vetus Cōven-

ventus est, ad pass. M. ab opido, circa occiduum solem æstivum. Illius promotor B. Matthæus de Agrigento, vir innocentia morum notissimus, anno MCCCCXVIII, qui plures in Sicilia ejusdem ordinis instituit, ex *Chiarandano*. At Pirrus *Platiensem* inter Matthæi fundationes non recenset, Ordinisque Annales annum MCCCCLI. decernunt. In eo ob situs asperitatem sese monachi illi recipiebant, qui perfectioris vitæ propositum expetebant; donec Bonaventura de Agrigento etiam, & Paulus a Palatiolo Reformationis legibus in Sicilia secundum, illud MDLXVII. subdiderunt, Sisto V. Rom. Pont. id post aliquot annos probante. Quum vero in ædicula S. Petri nomine, extra orientalem portam ad passus circiter C. Virginis imago variis prodigiis commendata coleretur, ac dudum Regulares S. Augustini Canonici, quibus Ecclesiæ cura inerat, defecissent, iisdem Minoribus Observantibus *Platiensis* Senatus illam commisit, ac insigne cenobium addidit, quod tertium subinde anno MDCXXVII. in provincia Reformatis cessit, suorum academia, celebri bibliotheca, novisque ædificiis nobilius evasit. Capuccinis denique locus est datus MDLXII. qui *Turris Renda* primum, hodieque Vetus Capuccinorum domus dicitur, extra ad aquilonem, sed aeris gravitate obnoxium, ubi illum fratres cognovissent, mutatis domiciliis, ad australem plagam, & S. Hippoliti planitiem D. pass. ab urbe, valle intermedia, se contulere MDLXXXII. Locum, aquarum decursum, viretumque Joanne Philippo Jacio concedente. Habent e conspectu magnam, potioremque urbis partem, decenter juxta instituta degunt, sed aquarum in horto receptaculum, quod stagnum appellant, visu est non indignum. Carme-

melitarum Conventus, & Ecclesia sub S. Alberti hodie invocatione ab anno MCCCXXII. fundationem cognoscunt. Cellam in peristylio ostendunt, in qua vir ille sanctus aliquando vixisse creditur. Atenim traditio hęc cum iis, quæ Pirrus refert ex Ægydio, minime congruit. *Carmelitana familia*, ait, *sub invocatione D. Alberti primum Platię habuit Cęnobium anno 1332. ob miraculum, quod idem Albertus ostendit, adversus quosdam, qui suam imaginem depictam delere conabantur. Tunc enim quidam hydropicus diu in lecto jacens, Divinitus sanitatem adeptus est, & in foro publico causam D. Alberti defendit.* Si hujus igitur miraculi occasione cęnobii institutio promota, jam ante Albertus ad cęlos evolaverat, ejusque incola esse non potuit. Sedet in tumulo ad orientem æstivum, unde totius pene urbis amęnissimus est aspectus; nostra ætate variis civium ædibus circumpositis, multo frequentius redditum. S. Augustini Eremitæ circa MDLII. ubi nunc Monialium SS. Trinitatis est claustrum, sedem fixerunt, indeqne MDCV. ad inferiores plagas septentrionales, ubi domus erat hospitalis, nova Ecclesia piorum eleęmosynis a fundamentis excitata, decentique domo adjuncta, migrarunt, qui locus hodie satis est pervius. Ejusdem ordinis Fratres Centuripinæ reformationis extra urbem in solitaria *Vuluri* regione, sub S. Mariæ de Nive titulo constituti, prope Castellum superioris sæculi medio, eodem servato nomine, coaluerunt.

Monialium sub S. Benedicti regula antiquissimum Monasterium S. Joannis Evangelistæ in area *Patris sancti* anno MCCCLXI. Florentię Caldareræ divitiis constructum, viget hodie splendidum cnm ædifi-

ci-

ciis, tum alumnarum numero, quæ Pirri ævo CXL. erant, tum denique arctiori vivendi genere. Alterum SS. Trinitati dicatum Gratiana Velardita, in hospitalibus ædibus, quas Mater erexerat, primo instituit, ibique sorores aggregavit, iisque accensa religiose vixit; circa superiores regiones inter majus templum, & arcem postea translatum. Tertium Benedictini ordinis S. Agathę patrocinio, & nomine gloriatur, sedetque ab arce haud procul, aliis æque nobilitate, & præstantia comparandum. Condidit, dotavitque anno MDXL. Constantia Columba, ac primæ illustrarunt perfectæ vitæ exemplis Julia Cagno, Tesbia Cremona, & Vincentia Bruno, quas Pirrus egregiè commendat. S. Claræ nomine, & institutis præ omnibus tempore & vetustate eminens, sępius memoratum *Patris sancti* forum insidet, decentissimè structum anno enim MCCCXL. Guillelmi Caldarerę Bisarę Dynastæ opera, & opibus ortum habuit, ingenuasque, ac virtute pręcipuas alumnas semper fovit. De S. Annę Claustro hęc Pirrus: *S. Annæ Monasterium, quod congregatio S. Brigittæ nuncupatur, ubi nobiles mulieres educantur, donec nubant.* At Chiarandanus rem sic describit: anno scilicet MDCXVI. nobiles pias Virgines Petri Calaxibettę filias paternam domum excipiendis mulieribus, sese sęculi tumultu proripientibus, destinasse; quibuscum ipsę aliquandiu religiosis operibus intentę vixerunt. Hinc Andreę Trigonę opera, & Hjeronymę Rivarolę nobilis matronę divitiis, S. Annę Ecclesiam ędibus proximam in ampliorem formã fuisse redactam, tandemque sub S. Francisci regula cęnobium coaluisse in orientali collis latere sub principe Ecclesia. Verum anno MDCXLIII. Urbano VIII. in-

Digitized by Google

indulgente, S. Augustini institutis sese Moniales adduxere, sub quibus hodie arctissime vivunt. Puellis, quę parentibus sunt destitutę, Joannes Sambuchella, domum statuit, sub exitum sęculi XVI. prope Ecclesiam S. Mariæ, quę de *Orfanis* titulum idcirco habuit. Eamdem Marcus Trigona cum uxore anno postmodum MDCVIII. bonis auxit, & ampliorem reddidit. Lapsis Mulieribus Gaspar Paraninsus Societ: Jesu, collatis civium eleemosynis, ędes designavit. Hospitalis domus pro ęgrotis S. Jacobi de Spada & de Alto passu jura olim cognoscebat, variosque situs mutavit, hodie vero in aquilonari Majoris templi area conspicitur. Illius curam Nobiles Albi sodales, in S. Marię de Angelis degentes, summa pietate gerunt, ad quos etiam *Montis* administratio spectat, in subsidium pauperum constituti. Sacræ Militię Jerosolymitanę vetus & insignis Ecclesia ad extremas in ortum opidi oras męnibus inędificata S. Joannis de Caldarera titulum refert, authoresque nobiles viros ejusdem gentis ipso vocabulo prodit. Habet apud Leontinos, Ennam, & Leocatam subjectas *Commendas*, annuosque proventus scut: MC. Est & alia in agro *Scaranti* S. Joseph *Commenda* Dario Barbarino anno MDCXXVIII. fundatore, quę *Capellanis* confertur. Jam Minores Ecclesias supra XXX. idem Chiarandanus enumerat, quarum complures Laicorum sodalitatibus addictę, variis per urbem locis dispositę, illi non vulgaris sunt ornamenti ac decoris.

Arx in meridiem crepidini insidet collis, sed aream habet spatiosam, cui amplę civium ędes adjunguntur, necnon diversę ex religiosis familiis adhęrent domus, de quibus dixi. Illam pretenta męnia, ope-

raque

raque veterum more sepiunt, ac turres iv. altitudine insignes muniunt in quadrum positę. Conclavia, aulasque complectebatur triplici fornicum ordine; ast hodie pro noxiis carceres integri supersunt, reliqua omnia vix usui esse possunt. Ecclesię administrandę Rex Sacerdotem cum stipendio destinabat. Ex opidi muris, ac turribus paucę supersunt reliquię; sed portę *Catalana* sub arce ad austrum, *Taccura* ad eamdem oram venali foro respondens, *Castellina* ad septentriones, ubi ejusdem nominis regio, adhuc perstant. Porta S. Joannis recens est, reliquę minoris sunt notę. Publici Consilii basilica elegans in foro, quę videatur est digna; Pro Dięcesano Episcopo ędes satis ampla superbit; Nobilium civium magnificentia in ędificiis tanta elucet, uti nulli ex cęteris insulæ etiam primariis urbibus *Platia* hac in parte decedat. Est in ea Magistratus civilis ex primaria gente, Decurionibus iv. *Syndico*, & Pręfecto Criminum coalescens, quibus publicę annonæ, ærarii, & sanitatis cura committitur; Pręfecto autem jus gladii competit. *Armorum Dux*, ita appellant, & *Magister Juratus* finitimis in regionibus jus dicunt, cuique muneri proprium. Occupat *Platia* in Comitiis locum xxiii. ejusque tesseram in parma argentea tænia verticalis, seu palus efformat. Sub Comarchia *Platiæ* opida sex clauduntur, sed ejus indigena militia Calatajeronis dudum Instructori parebat, sub cujus signis æquites xlvii. pedites cvi. educebat. Census sub Carolo Cęsare lar. 2364; incolarum anno mdxcv. 16644. quo tamen foci 3934. sunt computati. Sęculi sequentis medio foci 3761. animæ 13641. Ex Pirro foci 3991. incolæ 10080. Anno mdcckiii. lares 2424. incolæ 9634. qui novissimè

mè 1179I. Ager *Platiensis* pascuis lętissimus, colonis non illiberalis, naturæ muneribus affluenter dives, perpetuo virore oculos refovens, talis omnino est, uti nulli alteri in Sicilia secundus censeatur. Piniferis enim collibus passim scatet; Campis undique irriguis, ubi frequentissima sunt populeta, & omnis generis arbores; saltibus, nemoribus, & sylvis jucundam, utilemque venationem suppeditantibus constat; prata Corylibus, sive Avellanis longo ordine consita, vinetis, oleisque referta aperit; Civium denique Nobilium suburbanis, in quibus neque elegantiam, neque id omne, quod ad delicias pertinet, desideres, jucundo spectaculo distinguitur. De fontibus fluminum, qui in eodē agro sunt, de Gelę, scilicet capite *Ghiozzo*, *&* *Buffariti* in loco *Muliano*, alibi dixi. In colle Aliano Eremus sedet; & in Rosmanno altera non infrequens; ad caput Beliæ, quæ spatiosa est planities, S. Gregorii Prioratus, cujus supra memini. S. Mariæ de Nuce Ecclesia in eadem Beliæ regione ingenti populi frequentia, e vicinis, etiam & finitimis opidis celebris cum nundinis habetur. Novissime post annum MDCXCIII. quo Siciliæ insula terremotu, universa concussa est, voti caussa *Platienses* Beatæ Virgini tutelari Ecclesiam in tumulo ad ortum hybernum extra urbem dedicarunt, magnifice extructam, quam a *Terremotu* appellatam voluere. Enumerat denique *Chiarandanus* Municipia, vulgo *Casalia*, quæ Platię territorio concludebantur: *Naunim* in monte ejusdem nominis, ubi olim ex Cluverio *Nonimna* vetus opidum, *Casale Sarracenorum*, *Rambaldum*, *Condronum*, inde *Fundrò*; *Alianum*, ubi hodie Eremus constructa, *Polinum*, seu S. Barbaræ, *Reubiatum*, *Rebuzinum*, *Marcii Montana*, *Rosmannum*, ubi quo-

quoque Eremitarum Domus, & *Philosophiana* hodie *Sophiana* in Antonini veteri Itinerario memorata. Hæc diebus nostris jacent, atque ex solis ruinis cognoscuntur.

Naturæ dotibus civium excellentia respondet, quorum nomina ex ordine recenseo: Joannes Candilia Sacerdos, cujus jam memini. Vincentius Coniglius Ordinis Prædicatorum in Sacris Scripturis apprime versatus, quas publicè explicavit, solitudinis amore ductus, Aydonum proximum Patriæ opidum se conferens, ad annos L. sanctis operibus intentus vitam ibi traduxit. Senex in patriam reversus piissimè decessit MDXL. Jacobus Brunus ejusdem instituti magna humilitate, & charitate suorum famulatui addictus perpetuo vixit, nullo docente literas calluit, a columbina simplicitate maxime commendatus anno MD. obiit. Hieronymus Coltreris morum innocentia, & in Deiparam pietate clarus, suum S. Dominici Cœnobium ad plures annos optime moderatus, dulcissimum ejusdem Virginis nomen proferens, lętus mortē aspexit MDCXXII. Seraphinus Soldanus ejusdem Ordinis, amore assequendi Martyrium, diu apud Turcas in Græcia, Christianis ibi degentibus juvandis insudavit. Dum aliquando cuiusdam confessionem exciperet, ob odium fidei occisus in Domino obdormiit. Jacobus Cagnus zelo animarum clarus, aliisque virtutibus notissimus, honorum osor, omnibus charus, piè uti vixerat, sæculo valedixit in patria. De his Dominicanę familię illustribus viris agunt Pirrus, Cajetanus, Versus, Chiarandanus & Apriles. Memorantur eidem *Cajetano* Augustinus Calaxibetta Sacerdos Capuccinus vitæ integritate conspicuus, *qui suæ sanctitatis indicia*, uti Pir-

rus ait, *complura reliquit*. Vincentius ejuſdem ordinis laicus, ſumma humilitate, ſui contemptu, & aſſiduæ orationis ſtudio clarus, qui Deiparæ apparitione morti proximus, poſt relatam de maligno ſpiritu victoriam, dignatus, placidiſſime e vivis exceſſit MDLXVIII. Angelus ex Minoribus Obſervantibus, qui in S. Mariæ de Jeſu MDCVIII. vitæ innocentiſſimæ finem invenit; Quos etiam laudat idem Pirrus. Verſatur adhuc in omnium ore Andreas Trigona, quem ad frugem meliorem Franciſcus Morales piiſſimus Sacerdos, & Canonicus revocavit. Apud veteres Capuccinos ſanctioris vitæ tyrocinium Andreas poſuit; pauperibus ęgrotis hinc eximia charitate miniſtravit, ſacraſque Virgines in S. Annæ Monaſterio ſubinde egregie juvit; demum MDCXXVII. non levi ſanctimoniæ opinione animam cęlo reddidit. De eo Chiarandanus, & Verſus qui Antonium Rendam, Nicolaum Sagium ordinis Minorum; Chriſtophorum Calaxibettam Monacum Caſinenſem, Antonium, & Hieronymum ejuſdem illuſtris familiæ, Honuphrium Caſcium Sacerdotem, Petrum Barberinum S. Andreæ Priorem, Ludovicum Martinum ex Reformatis, ob vitę merita & non vulgares virtutes ſummis laudibus extollunt. Emmanuel Calaxibetta Cler: Regul: Teatinus, zelo animarum accenſus in orientalem Iberiam expediri poſtulavit; ſed variis ex cauſis præpeditus, Matriti ſubſtitit, ubi eximiæ probitatis edidit exempla, ibique piè deceſſit MDCLXXIII. Proſper denique Intorcetta Societ: Jeſu. Hic Sinicam ſacram expeditionem expetiit, atque anno MDCLXI. celebris Martini Martinii ſocius adſcitus, obtinuit, quam provinciam, Evangelium diſſeminando, ac pro Chriſti nomine plurima invicto animo perferendo, ad an-

nos

nos XL. egregie gessit. Supremam denique senectutem nactus, piisque laboribus consumptus MDCXCI. ibidem decessit. De quo Mongitorius, Aghilera, aliique fusius agunt. Ex feminis insignes fuere Archangela Tirdora tertii ordinis Minorum admirabilis patientiæ in diutina infirmitate, contemplationi assiduæ ita vacans, uti Puerum Jesum nocte Nativitatis suis in ulnis recipere, & Dominicæ passionis particeps esse meruerit; signis demum illustris MDXCIII. ad cælos transiit. Margaritha Calaxibetta, cujus meminit Cajetanus, & Pirrus, Tertiaria Capuccinorum, humilitate, abstinentia & contemplationis studiis apud omnes commendata. Obiit miraculis a Domino in morte honorata. Seraphica Trigona in S. Joannis Monasterio religionem professa, innocentissimæ vitæ Virgo, abstinentiæ admirabilis, & contemplationis assiduæ, in qua Divina patiebatur, ætatis anno XXII. summũ perfectionis apicem attingere visa, ad celestem Sponsum evolavit MDCXIX. De qua Pirrus. Catharina a S. Philippo, genere nobilis, prima in S. Annę Cenobio professionem emisit, mirisque virtutibus effulsit, humilitate præsertim, patientia, atque in Deum, & proximum charitate. Obiit piissimè MDCLXXXVI. die quã prædixerat. Agnes Triolo in eodem S. Annæ Monasterio diu sororibus virtutum exemplis præluxit, domesticis obsequiis ministravit, vivamque in se Jesu Christi imaginem, acceptis etiam divinitus stigmatis, expressit. Prope Octuagenaria MDCXCI. obiit, cujus vitam novissimè Nicolaus Coltraro edidit.

A dignitatibus, supremisque gradibus cum Ecclesiæ, tum sæculi, *Platientes*, commendantur: Rogerius Ordinis Minorum S. T. Magister Friderico III. a sa-

cris Confessionibus, Basorensis in Perside Episcopus, inde Mazaræ in Sicilia, floruit anno MCCCLXXXIII. Antonius a S. Philippo Ordinis Prædicat. S. T. M. æque doctus, ac pius Jurium Apostolicæ sedis in Sicilia collector anno MCCCCLXXIII. Bartholomæus a Platia Minor Conventualis, Legatus a Messanensibus ad Carolum Andegavensem missus, de quo eximia Maurolycus enarrat. *Versus & Chiarandanus* Scipionem Rebibam S. R. C. Cardinalem, ejusque Nepotes Joannem Dominicum Rebibam Cotronæ, & Catanæ subinde Episcopum, Luciumque Prosperum Bovensi Ecclesiæ Præpositum *Platienses* ortu faciunt. Ego ex iis, quæ suis in scriptis illi proferunt, *Platia* saltem oriundos putaverim, alii enim ex nostris e S. Marci opido fuisse communiter affirmant. Quod Ubertinus de Corleone *Platiensis* etiam ex nobili gente Calaxibetta de Corleone appellata, dicendus sit, evulgant, sed alii contendunt. Fulsit autem ille inter Minores fratres, suique ordinis gradus omnes assecutus, Pactensis tandem Præsul evasit. Nicolaus Porta Ordinis S. Dominici scientia, & vitæ integritate præcipuus, Antonii Alexandrini, qui fuit Pius V. in studiis sodalis, ab eo Romam, ut ad Palatii Apostolici Magisterium promoveretur, evocatus, ætatę se confectum professus, gradum ultrò oblatum præ humilitate recusavit, mortemque in patria expectavit MDLXXVII. Bartholomęus a S. Fausto, Pirrus cognomine, Congregationis S. Bernardi Floriacensis, Generalis Visitator, totiusque Sabaudiæ Pęnitentiarius, ab eximia ingenii fęlicitate, editis operibus, & virtutum præstantia commendatus, de quo inferius. Josephus Boccadefuoco Clericus Regularis Teatinus, vir apprimè doctus, & Ecclesiastes di-

dissertissimus, Abbas SS. Petri, & Pauli de Itala; mox ad Mazarensem sedem vocatus anno MDCLXXXLV. dignitatem respuit, & pie, uti vixerat, privatos intra lares obiit. De eo Silos, Mongitorius, & Cottonus. Matthæus Trigona gentis suæ splendor, Syracusanus Episcopus, disciplinæ Ecclesiasticæ sedulus promotor, post aliquot optimi regiminis annos muneri nuncium remittens Archiepiscopus Iconii, & Sacræ Mansionis Panormitanæ fit Abbas. Decessit in patria MDCCLIII. morbo, & ætate confectus. Alexander Bajulus sub Guillelmo, de quo supra. Alexāder Torres Māfredi Regis Miles ejusdem lateri adhærens occubuit in celebri pugna, qua Carolus Andegavensis ad Beneventum illum fudit, & confecit. Antonius Papè vir strenuus, & Regis Jacobi amicitia honoratus, quocum Catanæ degens familiariter egit, uti Athanasius ab Aci tradit.. Rogerius Caldarera Friderico III. in primis charus, ab eoque singularibus gratiis affectus. Joannes Calaxibetta Reginæ Aulicus sub eodem Friderico claruit. Nicolaus Brancifortius, Mazarini Dynasta, Martino Regi apprime acceptus, ejus copiis præfuit, in cujus fidem & clientelam conterraneos suos adducere curavit, Grassuliati arce idcirco donatus. Henricus Aydonus Azolinæ dominus, eidem Martino fidem suam egregiè probavit, variisque privilegiis decorari ab eo meruit. Andreas Trigona Regius in Sicilia Quæstor. Vincentius Gergenti post emensos honorum gradus, Regii Ærarii Præses, brevi vixit. Joannes Affannatus M. R. C. Judex, a Regiis rationibus subinde Magister. Joseph Triolus in eadem R. M. C. quartum sedit. Simon Calaxibetta & ipse supremi illius senatus Judex claruit medio elapso sæculo. Joseph Calaxibetta Juris Con-

Consultissimus, literisque pollitioribus satis ornatus, in aulis Prætorii & Consistorii sedit, Bellicus Auditor Generalis MDCLXXV. Desiderius Sanphilippus S. Joannis Eques, primus *Gruttarum* Dux, consilio, & prudentia Panormi plurimum valuit.

Literis denique & scientia, atque ab ingenii fętibus illustres fuere: Michael de P*latia* Minor de Observantia, qui Siciliæ Regum res gestas ab excessu Friderici II. ad annum MCCCLXII. simplici stylo complexus est. Opus mitum ab eruditis asservatur. Joannes Antonius Trigona summus Jurisconf. Mariani Soccini discipulus, in Patavino gymnasio publicus Legum interpres, edidit *Singularia*, floruitque MDXL. Scipio Trigona U. J. D. eminentissimus, & in Academia Parisiensi, ac Valentina publicus per annos XXV. Legum Professor, *Commentaria in Petrum Philip: Corneum Perusinum super Codd. & Diggest.* edidit MDLIII. Antonius Pirrus ab anno MDXX. generalis Siciliæ Archiater, apud Carolum V. magna valuit opinione. Obiit MDXXXII. Franciscus Cagnus Medicus, & Philosophus per Italiam celebris, Theologicis etiam & Poeticis studiis delectabatur, in Patavino Lyceo ad plures annos Medicinam docuit, opusque *Theorematum Physicorum Arist.* vulgavit MDLXXI. Joannes Franciscus Assorus Medicus & Mathematicus insignis Comiti de Alba Proregi apprime charus, scripsit *Patriæ Historiam*, floruitque MDLXXXVII. Joannes Philippus Bonus Philosophia & Medicina insigniter excultus, ac poetica laude floruit; In Patavino gymnasio easdem facultates publico honorario conductus docuit & Laureati Poetæ honores meruit. *De Concordantiis Philosophię & Medic:* MDLXXIII. libros edidit. Franciscus

Digitized by Google

cus Niger Astrologus, Philosophus clarissimus, & Medicus, eodem mortis genere in Sicilia sub Ætna anno MDXXXVIII. periit, quo *Plinius* in Campania; dum propius scilicet incendii cursum specularetur, fumo suffocatus. Joseph Seydi (Hieronymum vocat Mongitore) Medicus & de antiquitate benemeritissimus; *Ejus msstum de Antiqua Platia & Translatione B. Mariæ Virginis*, inquit Pirrus, *apud Doct. Med. Antonium* Pizutum *Platiensē omnium scientiarum peritia, etiam hystoriæ præclarum legi*. Antonius Versus Musicis peritus, & in patriæ historiis insignitur versatus, plures vulgavit libros ad Musicam spectantes, MDCXX. msstam Platiæ historiam reliquit. Bartholomæus *Pirrus*, a S. Fausto appellatus, Cisterciensis Monachus, de quo supra, typis dedit *De votis Religiosorum, de Clausura, Speculum Confessorum, de Horis Canonicis, de Theologia Morali, de Sacris Indulgentiis, & Jubilæo* Vivebat MDCXXXVI. quo ætatis LXV. magna opinione virtutis vita excessit Neapoli. Martinus N. ludrica poesi clarus laudatur ab Alderano, & Mongitore. Franciscus Inguardiolo Theologus & Concionator celeberrimus, & in Jure Pontificio consultissimus, Commendatur eidem Mongitorio. Franciscus Previ Soc. Jesu, in quo absolutissimi viri virtutes omnes mirabiliter effulsere. Messanæ denatus MCCLXX. ab eodem Mongitore laudatur. Franciscus Maria Spinellus Cler. Regul. Teatinus inter primarios Divini verbi præcones locum sibi comparavit. Claruit anno MDCXXXIX. Hieronymus Montaltus Philos. & Medic. Doctor Patavii inclaruit; vulgavit *de Homine Sano* librum MDCXXCII. Franciscus Intorcetta Soc. Jesu Theologus, Cardinali Camillo Astallio Catan. Episc. a Sacris Confes-

fessionibus, ejusque successoribus acceptus, Panormi obiit MDCLXXXII. Carolus Trigona ejusdem Societatis Morum Theologiam supra annos XXX. professus est publice; Messanensi, Syracusano, Catanensi, & Liparensi Prȩsulibus a consiliis, senex decessit MDCCIII. Emmanuel Calaxibetta, Prosper Intorcetta, & Josephus Boccadesuoco, alibi laudati, inter Scriptores Siculos jure a Mongitorio relati sunt. Marcus Alegambius Minor Reformatus Philosophiæ, Theologiȩ, ac Juris utriusque scientia insignis, scripsit, Patriȩ Historiam, ex Chiarandano & Mongitore anno MDCXLVII. Joseph Politius Societ: Jesu omnigena doctrina excultus Sacras, & Naturales Scientias Panormi diu docuit, ubi absolutissimum Philosophiæ cursum viris doctis apprime probatum, typis tradidit. Obiit MDCXCI. Joannes Paulus Chiarandanus ejusdem Societ: sacris & humanis literis imbutus, Historiam urbis suæ publici juris fecit anno MDCLIV. decessit decurrentis seculi anno I. octogenario major. Dominicus Baudini provinciam Siculam Societ. Jesu optime rexit, Ecclesiastes eximius, & Theologus edidit *Rectorem Politicum Christianum, & Consiliarium.* Floruit hoc sæculo. Vespasianus Trigona Societ. Jesu suppresso nomine scripsit *Pro voto de Immaculata Deiparæ Conceptione.* Provinciam administravit, & Romæ hodie inter primos magna nominis fama dies agit. Philippus Arena Soc. Jesu Mathesis ad plures annos Panormi interpres, de Optica bene meritus, Microscopium invenit, cujus docuit usum, singularissimi artificii, ac plura alia molitur. Vivit. Celebrat Chiarandanus sȩpissime laudatus, inter Juristas Didacum Alarcon, Franciscum Gueli, quem a poeticis cantionibus commendat etiam

tiam *Sanclemente*. Franciscum Barberinum poetam quoque disertissimum, Joannem Mar. Lagnusa, Joannem Franciscum Trigonam, Matthæum Spinellum. Inter Medicos & Philosophos Sebastianum Tirderam per annos xviii. Perusii publicum Professorē, Vincentium Jaci, Joannem & Matthæum Triolum, Joannem Thomam Galaxibettam, Franciscum Capizium, aliosque aliis scientiis imbutos; Quos apud eumdem consule.

PLEMMYRIUM Promontorium & Castellum ad portus Syracusani fauces contra Ortygiam, cui parva objacet insula *Castellacium* appellata. Dicitur hodie *Marsa Oliveris*, ob celebrem lapicidinam memorata, unde per universam orientalem Siciliæ plagam lapides ad ædificiorum, templorumque ornatum passim deportantur. Virgilius Æneid. 3. Undosum *Plemmyrium*, quia maris fluctibus tunditur, vulgavit; natus hinc inter Grammaticos error, quod insula, aut fluvius fuerit. *Plemmyria* enim Græcis inundatio est. Atenim Thucydides rectius describit lib. 7. *Niciæ vero communiendum videbatur Plemmyrium; quod est promontorium ex adverso urbis in magnum portum prominens, faucesque coercens; quo munito, faciliorem fore receptum commeatus, aliarumque necessariarum rerum*. Qualis porro munitio fuerit, seu Castellum in promontorio excitatum prodit idem Historicus: *Gylippus tota nocte cunctum pedestre agmen duxit; ut eodem tempore ipse a terra muros in Plemmyrio adoriretur, & naves a mari*. Et paullo post. *Interim dum Athenienses, qui erant in Plemmyrio, ad mare descendissent, & ad pugnam navalem intenti essent, Gylippus prima luce repente muros adoritur, ac primum*

ex tribus maximum capit, dein & minores duos. Triplici circumdatum muro Plemmyrii castellum innuit; nam ibi pecuniam Athenienses, quæ ingens erat, repositam habebant. *Athenienses,* prosequitur ille, *extra-ctis hostilibus naufragiis,* Navali enim bello victores fuerunt, *ac posito trophæo in parva insula, quæ ante Plemmyrium sita est, in sua castra rediere.* Syracusani vero tribus potiti muris totidem trophæa statuerunt, & e duobus muris posterius captis, alterum diruere; reliquos præsidio imposito tuebantur. Locus castelli haud procul ab extimo promontorii excursu, paullo elevatior, vestigia adhuc veteris structuræ servabat Cluverii ætate.

PLUTIA. Vide *Platia*.

PLUTONIA SPECUS apud Ennam, per quam Plutonem ad Proserpinam ex vicino prato flores legentem rapiendam exiisse veteres fabulantur. Abruptis saxis tota hodie oppleta est, os ad aquilonem etiam nunc patet.

POLICHNA Opidulum in Syracusano olim agro circa Jovis Olympii templum. Diodorus lib. 13. *Athenienses cum parte copiarum locum portui imminentē occupant: Polichnâ, quam vocant, communita. Jovis etiam templum eidem muro includunt, ita, uti ex utraque parte Syracusas obsiderent.* Et lib. 14. Castellum vocat. *Dionysius simul & castra, & castella oppugnare instituerat. Itaque perculsis re subita Barbaris, castellum, cui Polichnæ nomen, vi expugnant.* Cluverius, eo vocabulo opidulum denotari advertit.

POLINUM Vetus Casale in territorio Platiæ. Ejus in Censu Martini de anno MCCCCVIII. fit mentio. Spectat hodie *Polinus* ager ad Bonannos Calatajeronenses.

Digitized by Google

POLYPHEMI SEDES ad Anapum. Gigantis hujus antrum fuisse sub Ætna alibi ostendam, contra ac sentit Cluverius, qui in Eryce monte prope Drepanum illud statuit. Atenim Theocritus Idylio 7. eundem ad Anapum Syracusani portus amnem sedem quoque habuisse tradit his verbis: *Num pastorem illum olim ad Anapum fortem Polyphemum, qui in montibus saxa torquebat, tale nectar movit, uti per stabula pedibus saltaret?*

POLYZELUM Villa apud Syracusas, situs incerti, inter Cacyparim amnen, & Erineum fluviū dubio procul statuenda: De fuga Atheniensis exercitus loquens Plutarchus in Nicia ait: *Prima luce Syracusani occurrerunt; saltus obsederunt, vada fluviorum* Cacyparis, nempe & Erinei, *munierunt muris, pontes rescinderunt, uti nullus esset Atheniensibus relictus locus sine dimicatione progrediendi*; & paullopost *Captus est Demosthenes, & manus, cui ille præerat, ad Polyzellum villam, inter dimicandum & resistendum circumventa..... Sustinuit tamen illam noctem Nicias, aliis cum suorum copiis Demosthenem progressus, & postero die processit inter hostium tela ad Asinaram usque amnem.* Nominis hoc accepisse Villam a Polyzelo Hieronis Regis fratre, optime conjectat Cluverius, cujus meminit Pindarus in Scholiis Olymp. Ode. 2. qui vel conditor, vel saltem dominus villæ fuit.

PONTESIA Casale ad Syracusanam spectans Ecclesiam, de quo Trancredi Syrac. Comitis loquitur Privilegium anno MCIV.

PORCARUS Fluvius, vide P*antagias.* Dicitur etiam *Bruca.*

Digitized by Google

PORRORUM Insulæ, seu Scopuli tres, bis м. pass: post Pachynum promontorium, ejusdem littori meridionali objacentes, contra *Busaidunis* fluenti fauces, & *Murræ*, sive *Circiæ* cuspidem.

PORTICELLUS. Statio circa orientale Pachyni littus post Atellari, seu Abysi fluminis ostium.

PORTILUM Opidum ex Aretio, quod Lamis Megarensis condidit, *Trotilum* Thucydidis, Nostris *Curcuracis*. Sed omnia Aretius invertit. Trotilus enim a Pantagiæ ostio haud procul, uti docebo; *Curcuracium* sub *M*elilli stetit, quod supra adverti.

PORTUS PALORUM. Vide *Palorum Portus* ad Pachynum.

PRIANA, Fons idem ac *Diana*, de quo dixi.

PRIMUS, Fons ad Sortinum, seu Xuthinum opidum, unde ejusdem nominis fluvius, qui in Anapum illabitur.

PRIMUS SOL. Aliter *Provisor*. Ager est post Symæthum amnem, in quo S. Pauli fluvius decurrit. Pons ibi hodie celebris a S. Agatha appellatus, ad trajectum, quotiescumque hyberno tempore ejusdem fluminis aquæ late ipsi agro affunduntur.

PRISA Fluvius, Gela scilicet juxta Terrãnovam ita appellatus, de quo superius dixi.

PRUNORUM Fons, seu Puteus juxta Motycam, unde fluvius *M*otycanus ortum ducit. De eo actum; ubi de *Fluvio Siclensi*.

PULCHRA FŒMINA. Aquæductus ad agrum Syracusanum, unde aquæ a Sortino, seu Xutino illabuntur. De eo Fazellus.


PUZZALLUS. Statio & Arx, alio nomine *Alpusallus* in littore australi, cujus alibi nemini.

PY-

Digitized by Google

PYRAMIS. Aliter *Turris Acuta*, Siculo ore *Pizzuta* in Netino Territorio inter Affinarum, & Elorum fluvios. Vide *Pizzuta*.

PYRAMIS vulgo *Agaglia*, unde latiffimus fertilifque ager *Bigenis* poft *Cantaram* amnem, feu Alabum, nomen fortitur. *Agulia Planicies* aliter, in mediterraneis contra Tapfum, feu Magnifim peninfulam. Quadrata eft moles ex lapidibus etiam compacta, cujus major fuperna conftructio ex terræmotus fuccuffionibus MDCXIII. in ruinam abiit. Authores Syracufanos, poft relatam ab Athenienfibus victoriam, dubio procul agnofcit; & fi nonnullis alio forte tempore fubvecta creditur.





ACCASSEM Casale, *Zotica* subinde, ac tandem *Judica* appellatum, de Zotica rursus.

RACHAMEMUM. Casale, quod anno MCCCXX. circiter juris erat Bernardi de Montalto Bucheris Domini, & MCCCCVIII. ad Joannē de Cruyllas spectabat.

RACULMET. Vide *Riesium*.

RAGUSA Opidum nobile ad Motycensem hodie Comitatum spectans, ejusque potior pars, a Pirro & Fazello, ingens, agrorumque Camarinesium dives appellatum, ditissimis, conspicuisque familiis splendidum, in arduo sedet colle ad austrum, ortum, occasumque, cujus abluit radices Hirminius, qui & *Ragusę* fluvius hodie idcirco dicitur. Hybla minor, sive Heræa, & Hera Cluverio, Vigintimillio, Carreræ, & Mazaræ creditur, & ob Lucinæ cultum veteris superstitionis Deæ apud incolas memoratur; adeoque longe ante Christum Dominum ortum habuisse, & nomen subinde sub Sarracenis immutasse passim traditur. Nec desunt, qui a Raguseis conditoribus appellant; quamvis nulli in Siciliam Ragusei usquam appulsi in historiis dicantur. Duas est hodie in partes civitas discreta, quarum inferior *Ragusa*, altera supremum occupans collis, *Cosentia*, & nova appellatur. Ibi enim Cosentini dudum patria extorres, coloniam statuerunt, uti de Leontinis tradunt, ubi regio est *Cosentia* appellata. Inter utramque autem Scala perquam lata juxta rupis indolem ad passus M. & amplius extensa assurgit, quam sacræ aliquot ædes, uti & ci-

civium per intervalla ambiunt. Arcem ingens saxea moles substinet, in occasum, ab ortu, & meridie veteri adhærentem civitati, circa alias vero regiones ad profundam usque vallem, vulgari voce *Cavam*, undique præruptam, quæ variis munimentis & turribus ad quatuor angulos olim instructa, firmior præ ceteris insulę habebatur, atque ob situm expugnatu difficilis; nunc vero post annum MDCXIII. terræmotu disiecta præter substructiones, imosque fornices, ubi noxii detinentur, ruinis undique patet; ex quibus tamen ejus adhuc magnificentia & insignis elucet amplitudo; Męnium reliquię alicubi etiam spectantur, maxime prope Capuccinorum Conventum.

*M*ajus templum S. Gregorio *M*artyri dicatum Claromontanis Pirrus adscribit; Northmannis Ego assigno, Rogerio scilicet Comiti, aut ejus ex Eremburgo filio Gaufredo, qui pulsis Barbaris *Ragusæ* Comes a patre mox renunciatus, sacra munificenter restituit; extant hinc S. Georgii vetus Ecclesia, nonnisi Ganfredo ascribenda. Huic nova successit a Claromontanis in urbis veteris pene centro, haud procul ab arce excitata, ędificiis, prospectu, atque interno ornatu olim decora; sepulchro Bernardi, & Joannis Capreræ illustris; post terræmotum decenter primum concinnata, subinde non minori elegantia cum ornatissima fronte extrui cœpta; Canonico demũ collegio paucis ab hinc anno MDCCXX. insignita, cujus Præpositus veteris ejusdem civitatis est *P*arochus. *P*ost hanc S. Thomæ Apostoli sacra ædes surgit, in qua Divina etiam administrantur. Jam in nova, quæ *Cosentiæ* vocabulo venit, insignis parochialis S. Joannis Baptistæ titulo Ecclesia primatum diu in una, & altera sibi deberi contendit, tandemque proprios intra fines jura exercere sua,

sua, & nulli alteri subiici obtinuit, ab eo præsertim tempore, quo de secernenda veteri a nova civitate, circa decurrentis sęculi initia actum est; rebusque civilibus integris, parochias discretas, ne locus deinceps jurgiis daretur, Syracusanus Episcopus voluit. Fulget & ipsa nobili structura, columnis suffulta, prospectu ex albo lapide eximia, suo sub Sacerdote, cui clerus sacris operanti, muniisque Ecclesiasticis intendenti frequentissimus adest. Habet eadem regio superior S. Nicolai ædem, ubi sacris etiam administrandis opera navatur. Sed & utrique Parochiæ S. Georgii scilicet & S. Joannis tres & viginti filiales subduntur, quas inter memoratu dignæ S. Mariæ vetustissima, de Scala nuncupata, quia circa eamdem sedet, S. Veneræ V. & M. in clivo, S. Mariæ de Odigitria, Purgantium Animarum, S. Jacobi Apost; alięque laicis sodalibus addictę.

Instituit sub S. Benedicti regula laudatus Gaufredus Comes Prioratum anno MCXX. illumque Monachis Cathedralis Catanensis Ecclesiæ attribuit, sub S. Mariæ de Nova, seu de Monacho nomine, cujus hodie jura ad Catanę Canonicos spectant; Ecclesia vero Minoribus tertii Ordinis fratribus fuit concessa. Ascetis porro S. Dominici, Vincentii de Pistoja viri pietate eximii opera, cęnobium ab anno MDIX. S. Vincentii Ferrerii titulo non inelegans constructum est, ubi primus ab austro in opidum aditus patet, quod hodie refectum. Minores Conventuales longe antiquiores, ac Pirius ex Uvadingo constituit; Divo enim Antonino apud Siculos agenti anno MCCXXV. illos *Ragusæ* incolas Conventus tabulæ evincunt. Ecclesiam S. Francisco sacram vetustæ & recentis structurę

cele-

celeberrimam prodit Cagliola, cæterisque hac in regione non secundam; Sacrarium ornatissimum, vasis argenteis, & supellectile dives; *Conventum vastum & officinis variis fulcitum*, eximiis denique sodalibus instructum dicit. Surgit circa aquilonem in tumulo. Reformati in S. Mariæ de Jesu decentissimo Monasterio ab anno MDXXXVI. degunt ad ortum, prope veterem opidi portam supra vallem. Capuccinorum domus S. Agathæ titulo, extra, MDXXXVII. uti Annales perhibent, statuitur; inde juxta mœnia civitatis translata anno MDCX. ex Pirro, prima ad meridiem occurrit, cujus templum satis celebre Nativitatis Domini icone exornatur. S. Mariæ de Carmelo antiquum Cœnobium prope *Cosentiam* situ conspicuum, ædificiis nobile anno MDLX. ortum recognoscit. S. Augustini recens est, ait *Pirrus*, anno scilicet MDCXXXI. fundatum; post terræmotum in S. Theodori fratres sese receperunt; novissime refectis ædibus ad pristinum sub S. Georgio locum reversi sunt. Minores denique Tertii Ordinis dudum S. Antonii Ecclesiam infrequenti situ colebant; Canonicis mox Catanensis Ecclesiæ annuentibus, S. Mariæ de Nova MDCX. acceperunt, a foro publico haud procul, & intermissum ibi Divinum famulatum, Hyacintho Battaglia ejusdem instituti rem promovente, instaurarunt. Monialium Claustra tria vigent hodie apud *Ragusam*: S. Mariæ Vallis Viridis sub Carmelitano ordine vetustum, in ea, quæ opidum adeuntibus obvia fit area, contra S. Dominicum. Novum alterum in foro, S. Joseph titulo, a Carolo Gavanto Buxelli domino MDXC. fundatum Benedictinæ regulæ adstrictum; utrumque ædificiis, elegantique templo spectabile, & monasticæ disciplinæ speculum.

Tertium *S.* Mariæ de Gratia olim puellis orfanis educandis addictum, alumnis subinde frequens; quæ ad S. Teresiæ præscripta arctiori vivendi genere distinguntur. Domus Hospitalis ad infirmos fovendos prope forum de Arcubus, piorum eleemosynis, bonisque aucta, Ecclesiæ S. Mariæ adhæret; Mons Pietatis sedula civium cura administratur. S. Joannis Jerosol. Commendam Blandano Aretio Equite MDCXXVI. authore; & Cistercienfium Monachorum hospitium Roccadiensi Cenobio suffraganeum memorat Pirrus.

Triplex venale forum civibus aperitur. Primum & satis amplum inferius, ubi Magistratus basilica non inelegans, & alia, quæ decorem illi conciliant, ædificia; aliud ab Arcubus, seu ab antiquis opere arcuato conspicuis substructionibus vocabulum sortitur; postremum apud *Cosentiam* ad S. Joannis templum, undique patens comptis ædibus ambitur; ex his enim, quæ ad privatos & nobiles varia per urbis loca spectant, magnifice atque ad multam elegantiam non paucæ extructę conspiciuntur. Suggestus denique lapideus insigni artificio elaboratus in ampla Sanctæ Mariæ de Scalà area conspicuus extat, de quo varia, & incerta traduntur. Magistratum porro ex Juratis Patribus, Syndico, & Præfecto coalescentem Comes annuum designat; Clero Pro-Episcopo Syracusano Sacerdos moderatur; Sacris Parochi intendunt. Subditur civitas quo ad indigenæ militiæ munia Siclensi Instructori, eique pedites CXX, equites LII. dudum subministrabat, & Netinæ Comarchiæ finibus comprehenditur. Aquilam rubra Cruce pectus signatam in scuto ostentat, amplissimoque agro, supra quam credi queat, frugum fœcundo gaudet. Sub Friderico enim III. Fundos XV. Equitibus, uti dicunt, XXVIII. obnoxios, claudebat.

Colles hinc, qui circa surgunt, multa vite, oleis, arboribusque amœnissimi, fontes ad horum radices uberrimi ac perennes; valles cannabe, legumine, oleribus refertæ oculos adeo oblectant, uti Montes inibi Heræos veteribus celebratos ex nostris complures recognoscant. In planitie cęterò, lapidosa quidem, ad multa pass. M. extensa, latissimè, quod supra collium vertices procurrat, patenti, arbor sanè nulla, sed gramen omni ferme tempore virescens pinquissimis pascuis cujusvis generis armenta, gregesque nutrit, unde quæstus ingens incolis provenit. Ibi media via jucundo spectaculo videre est centum circiter puteos brevissimo terræ tractu in lapide excavatos, a quibus locus denominatur, frigidam aquam, limpidamque præbentes. Erant sub Carolo V. *Ragusæ* foci 3247. incolę vero in Censu de anno MDXCV computabantur 8933. Sequentis sæculi medio in Regiis libris lares 2475. animæ 8732. Sed ex Pirro lar. 2353. animæ 14443. in quo postremo numero lapsus apparet. Anno MDCCXIII. lares 2382. incolę 8863. novissimè 12104.

Primum Ragusæ Dominum Rogerius Comes *Gaufridum* filium secundo loco ex Adelaide susceptum constituit; alter enim Gaufridus Comitis primogenitus ex Eremburga, cujus meminit Malaterra, quum affectę esset valetudinis, uxore virgine relicta, diem obierat suum. *Gaufrido* ex Regalia conjuge *Bartholomęus, Sylvester,* & Gotofredus, sive Robertus nati sunt. Primus patri successit, moxque sine herede vita defunctus est; tertius improles etiam obiit. *Sylvester* hinc *Ragusæ* Dominus, Marsici & Caupersani Comes salutatus, sub Guillelmo I. Regni negotiis prętuit. Ex hoc *Guillelmus*, qui se Marsici tantum Comitem, &

Ragusæ Dominum appellat; nullamque cum uxore Stephana prolem reliquit, illum idcirco Sylvester Bern. Gaufridi junioris filius excepit; & in diplomate de anno MCXCIV, quod Pirrus in *Syracus.* Eccles. notitia retulit: *Sylvester Bern. Comes Ragusæ Comitis Guillelmi ex fratre nepos* subscribit. Gaufridus namque Sylvestro Marsicano, secundo loco genitus Montis Caveosi in Calabria, Neti, Sclafani, & Calatanixectæ in Sicilia Comitatus tenuit, quos amisit. Guillelmo enim Regi infensus, dum insula excederet, Majonis fraudibus in Messanensi freto interceptus, oculisque privatus in carcere tandem misere occubuit. Filius itaque Sylvester bonis paternis caruit, sed in avunculi Guillelmi ditione, *Ragusæ* dominatu successit. Suevis, Gallisque Siciliam tenentibus sub Regis immediata potestate *Ragusam* perdurasse perhibent. Ab Andegavensi Carolo enim sub custodia Henrico de Sancto Stephano datam solummodo *Ragusam* invenio. At Petrus Aragonensis *Joanni Præsolio* concessit, quem Marchisiæ Presolio patrem pronum est credere. Marchisiæ quippe filius, *Manfredus Claromontanus*, ab Jacobo Rege, Petri filio *Ragusam* accepit, quam forte Joannes ejus avus minime fuerat, repugnantibus Opidanis, assecutus. Horum porro tanta fuit pervicacia, uti erecto ad arcem Gallorum vexillo, Guillelmo Estendardo Caroli Marescallo, cum Buteræ, Palatioli, & Cassari populis se dederint; nec nisi magnis viribus expugnati, tandem sub jugo colla submiserint, quod Maurolycus literis consignavit. Tunc *Ragusa*, uti Comitatus Motycensis pars, computata; Manfredus enim Isabellam Muscam sibi desponsaverat, cujus jure Motycæ Comes evasit. Manfredo *Joannes* filius suc-

succeffit; ficque deinceps alii utramque Dynaftiam tenuerunt. *Eft Ragufæ* a Motyca diftantia paff. M. IV. fed difficilis prorfus itineris; quoad cœli vero regiones latitudo grad: XXXVI. XLV. longitudo grad: XXXVIII. XXV. computatur. Sedet Baro in Comitiis loco XLII.

Illuftres viri celebrantur Vitus a *Ragufa* ex Minoribus Capuccinis laicus, qui moribus præditus incorruptis, contemplationis ftudiis adeo inhæfit, uti Divina fæpiffime pati, variifque donis & charifmatis imbui meruerit. Pio tandem fine Lycodię anno MD-LXXII. quievit; ubi illius corpus affervatur. Nicolaus Urfus Societatis Jefu Sacerdos, vita, & moribus illuftriffimus, ab ipfa infantia ad virtutem comparatus, & ad vitæ exitum fibi femper conftans ejufdem fectator. Scripfit de illo elogium Emmanuel Agulera, qui Nicolaum veluti publicę privatęque virtutis exemplum, & purioris imaginem difciplinæ pofteris commendat. Julius Thomafius Lapedufæ, *P*almæ, & Montifclari Dynafta, Chriftianorum equitum fpeculum, eximia in Deum religione, in Virginem, Sanctofque pietate, munificentia in pauperes, in educandis filiis cura, adeo commendatus, uti admirationem non vulgarem excitarit; dignus, qui Jofepho Thomafio S. R. C. Cardinali, & Mariæ Crucifixæ, filiis præluxiffe fanctioris vitę exemplis, monitifque falutaribus, omnium ore prędicetur. Extant ejus gefta typis edita. Afcentius Guerrerus, vir Gręcis & Latinis literis doctiffimus, quibus Francifcum Barberinum poftea Urbanum VIII. imbuit; ab eodem S. Mariæ in Cofmedin de Urbe Canonicus primum, fubinde Caftelletanus in Neapolis Regno Epifc. renunciatus. Sebaftianus Ugolinus, quem perperam Pirrus Siclenfem dicit, Academię Complu-

plutensis in Hispania Alumnus; Philippo III. a Sacello, S. Mariæ de Burgitabus Prior, & S. Anastasiæ Castelliboni Abbas, vir apprime doctus, a Pirro, Mongitore, & aliis congruis laudibus exornatus. Joannes Antonius Joppulus Juris-Consult. eximius, causarumque patronus elegantissimus, emensis omnibus in foro gradibus, Regii Ærarii Præses inauguratur, Cisari de Insula Dux subinde Caroli II. Regis beneficio anno MDCXCIII. fulsit, decessitque MDCCII. Joseph Michael Marquet Sacerdos æque doctus, ac pius, apud Hispanos ab eruditione celebratus, Constantiniani Ord. Eques & Cancellarius, a Philippo IV. Historiographi sui munere donatus, plura edidit, quę refert Mongitorius in Biblior. Vitas nempe Rom. Pontificum, Annalesq: ejusdem Philippi, a quo Episcopus designatus, morte prereptus honores assequi meritos haud potuit. Theodorus Belleus Medicę artis peritissimus, clari generis splendorem virtute superavit; in Patavino gymnasio Antesignanus ad plures annos discipulos ibi instituit, ubi & decessit. In Aphorism. Hippocratis commentaria edidit teste Mongitore. Antonius de Michaele S. T. & J. U. Doctor, patria *Ragusanus*, Siclensis Archipresbyter, Prothonotarius Apostolicus, & Syracusanę Ecclesię Canonicus, ab editis operibus a Mongitore & Pirro laudatus, mstam de Ecclesia Syracusana ejusque Episcopis Historiam reliquit. Carolus Belleus Minorita Conventualis Vir Doctrina clarissimus, Catanę, Senis, & Patavii in publico Athenæo graviores disciplinas professus est. De eo Mongitore in Bib liot. Obiit Patavii MDLXXX. Carolus Thomasius genere nobilissimus, primus Palmę opidulum in Sicilia fundavit, & Ducis titulo enituit; sæculo mox renuncians, Clericorum

Re-

Regularium inftitutum amplexus, religiosę perfectionis ftrenuus ęmulator, facras fcientias profeffus, longe clarior evafit: Romę diu vixit viris principibus *S. R. C.* Cardinalibus, & Summo Pontifici charus, ibique mortale depofuit anno MDCLXXV. Plura edidit ad Theologiam fpectantia, & ad fovendam pietatem aptiffima. Ejus extat vita typis data. Joannes Antonius Cannetius a Pirro Claramontanis adfcriptus, *Ragusæ* ortus ab aliis dicitur, uti *M*ongitorius tradit: de eo ubi de Claromonte. Joannes Baptifta Hodierna Palmę opidi Archipresbyter, morum præftantia illuftris; ob Mathefis peritiam celeberrimum fibi nomen adfcivit, famamque per univerfam Europam eximiam ab editis pręfertim operibus eft affecutus. Aftronomorum Corypheus hinc a Caramuele meruit appellari, nec minoribus laudibus a Borello, Boccono, Maggio, Redi, Etmullero juftis ęftimatoribus commendatus, Palmæ obiit MDCLX. Scripfit primus *S*yderum *M*ediceorum Effemerides; Tres in Stellis fixis novas obfervavit; *M*ufcę oculum & Viperæ dentem accuratè examinavit; aliaque ingenii fubtiliffimi monumenta compluribus opufculis cum editis, tum mstis orbi literario communicavit. Illorum habes catalogum penes *M*ongitorem, adeo copiofum, uti incredibile pene cenfeatur, unum hominem curę animarum ftrenuè addictum, tot tantaque, tali fęlicitate, ac diligentia LXIII. ętatis anno vix emenfo, exarare potuiffe. Joannes Antonius Sclafanus aliis Scrofanus, Medicus, & Philofophus, Joanne Baptifta Hodierna Magiftro Mathesim profeffus eft, Mufis etiam vacavit. Scripfit de Medicina; fuit denique Comitatus Motycenfis Archiater. Vivit Panormi Natalis Battaglia Siclenfis Parochus moribus graviffimis,

egre-

egregiisque preditus, Theologicis, & Canonicis disci-plinis apprimè imbutus.

RAGUSÆ Fluvius Vide *Hirminius*. Vulgo dicitur etiam *Mauli*, & Eruditis *Magonis* a *Magone* Pęnorum Duce. Non longe ab Opido ponte trahiiciebatur vetusto, ac celebri, qui paucis ab hinc aliqua sui parte disiectus, nondum adhuc est reparatus.

RAHALBARANUM. Vide *Mendę*.

RAHALBASIL Casale in agro Ennensi ad S. Mariæ de Aydone Prioratum spectans, qui juris est Ecclesiæ Catanensis.

RAHALBUTUM. Frequens hodie opidum, & locuples, ex Cluverio *in primis Siciliæ urbibus clarum*, vetusque *Amaselum* creditum, idest ex hujus ruinis exortum, in montibus sedet, quorum abluit radices Salsus fluvius ab eodem opido nomen assecutus. Fazellus, & Pirrus, qui *Rayhalbutum* appellant, Sarracenicę originis dicunt, *Rayhal* enim Casale, & *Buth*, aut ejus, qui casalis dominium habebat, aut loci vocabulum innuisse putant. In Rogerii literis *Buthate* habemus scriptum. Aretius ex civium opinione, ab ædicula, *quam nunc*, ait, *demonstrant*, *a quodam Rege voto dicata, veluti Regale votum vocari* affirmat. *Rahal* alii hospitium significare tradunt, estque e Catana Panormum euntibus id opidum prima statio. De fundatione autem vetusta multa nihilominus occurrunt. Aretius & Maurolycus de *Alcæo* cogitant; *Alcęos namque*, scribit ille, *Centuripi proximos populos multi constituunt*; Sed enim *Alcæum* nulli ex veteribus natum; nisi forte *Aliciam* velint illi intelligere, a qua ortum duxisse *Rahalbutum* Ferrarius docuit. At hæc in Aquilonari insulæ plaga, quam longissimè sita stetit.

Ric-

Digitized by Google

Ricciolius *Ergentium* putat, quod Ptolemæus inter Centuripas, Agyrium & Menas locat. Verum Cluverius prope Aydonum *Sergentii* reliquias videri, ubi *Cittadella*, rectius opinatur. Idem Cluverius cum Vigintimillio *Symęthum* opidum ad Rahalbutum statuit, quin *Amaselum* apud Diodorum non esse nisi Symęthum corrupto vocabulo adstruit; Id tamen durum Carreræ videtur, quod nulla inter *Symęthum*, & *Amaselum* vocis proportio appareat. *Xiraeth* aliunde in Tancredi Regis diplomate Casale in via, quæ tendit Leontinos, situm dicitur, nostris etiam diebus *Symęthum* vocatum in colle, ubi jacet. Firmum idcirco tenui meo judicio: *Amaselum a Symetho* diversum ibi olim stetisse, ubi hodie *Rahalbutum*. Cętero Rogerii ævo Sarracenicum Casale *Butaah* ibi erat, quod idem Comes, Roberto Messanensi Episcopo ab omni alia potestate liberum attribuit; eoque hinc titulo Messanenses hodie Archiepiscopos Comites appellant, illisque amplissimus ager obnoxius fructus pendit; & si Catanensis Parochiæ finibus claudatur, contra ac Rogerius decreverat. *Si contingerit*, en diplomatis verba, *in posterum Casale ipsum a Christianis habitari, & Ecclesias in eo, & ejus pertinentiis construi; Ecclesiæ ipsæ soli Messanensi Episcopo subjaceant*. Sarracenis porro in editioribus collis, *Fundi de Monte* appellati, partibus habitatio erat, ubi adhuc ædificiorum reliquiæ non leves; quibus Christiani successere, uti S. Mariæ de Auxilio Ecclesia, olim Opidanorum Patronæ, & in clivo S. Calogeri sacra ædes, quam majorem totius opidi dudum fuisse deprædicant, satis testantur. Illic, & Christi Domini e cruce pendentis adhuc hodie imaginem multis prodigiis claram *Rahalbutani* colunt.

Id subinde opidum anno MCCLXI. Centuripini a Friderico Cæsare descientes funditus incendio vastarunt; Manfredus autem Friderici filius proximo anno instaurandum curavit, atque in declivi ejusdem collis latere, æquiore delecto solo, statuit. Quo sane ex tempore longe majoribus coaluit incrementis, atque ob agri fœcunditatem mediterraneum frumenti emporium, Fazello, & Pirro testibus, evasit.

Via igitur satis patens, ab occasu ad ortum inæqualis *Rahalbutum* dividit, quam privatæ civium ædes amplæ, & elegantes exornant. Sacra autem ædificia præ cæteris ad omnem magnificentiam excitata visu prorsus digna sunt; quæ inter majus parochiale templum S. Basilio sacrum effulget. In eo S. Viti Martyris reliquiæ divite argentea arca conclusæ; nomen hinc ab hoc opidi singulari Patrono passim illud accipit, cujus festum ingenti frequentia, & nundinis die x. Augusti celebratur. Est enim apud indigenas, vicinosque, & longinquos etiam populos, erga eundem Divum specialis religio, quod mira contra venenatos rabidorum canum morsus illius passim virtus habeatur. Surgit ædes ad æstivum occasum in tumulo circa opidi aquilonares plagas, cum æris campani insigni turre prope fores ad ortum; sed magnificentiori schemate paucis ab hinc illa moliri cepta supremam expectat manum. Parochialis altera S. Mariæ de Cruce titulo, opidi pene centrum occupat, ante cujus portam, quæ antiquitatis vestigia sectatur, area patet. Memorat Pirrus S. *M*ariæ de Conceptione Abbatialem Ecclesiam Juliæ Garagozzo divitiis fundatam, & Urbani VIII. Rom. Pont. decreto anno MDCXXX. firmatam, cujus Rector cum presbyteris inservientibus Se-

di

di Apostolicæ subduntur, vigetque hodie splendida. Surgit contra hanc insigne Societatis Jesu Collegium xxv. circiter ab hinc anno institutum, ædificiis nobile, congruo censu instructum, quod longe ante designatum. Celebre hinc ad eandem occiduam oram S. Augustini Cœnobium frequenti situ spectandum se præbet, peristylio, sacra æde, sacellis, aliisque ornamentis excultum, quod ab anno MCCCC. originem recognoscit. Ante sæculum xv. fundatam vulgant Carmelitarum domum, ad *Rabaibuti* supremas circa hybernum ortum crepidines, sub Deiparæ, Ordinis tutelaris, nomine, quæ nec aliis religiosis ædibus decedit, nec exigui decoris est opido, cultuque præcipuo a civibus frequentatur. S. Dominici familia, cujus claustra decentissima, & Ecclesia æquè elegans ad æstivum orientem solem spectantur, anno MDXLVII. in regione Sarracena coaluit, hodieque non levia suscipit incrementa, nam laxiori ante templi fores novissime constrata area, australis ædificii prospectus insignior evasit. Augustiniensis Centuripinæ Reformationis ejusdem author Andreas Guastus extra opidum, circa meridiem ad pass. M. humiles casas, & Ecclesiam S. Antonii titulo anno MDLXXX. condidit, ubi ipse in Domino piissime obdormiens corpus deposuit. Nunc in meliorem formam domiciliis reparatis, fratres commodè degunt. Minores demum Capuccini extra opidum primo MDLXXXV. sedem fixerunt, ubi S. Viti Ecclesia, & fons, cujus aquæ salutares; inde intra pomœrium in declivi ad occasum venere. Ferunt porro vulgo de fonte S. Viti, quod ibi pius juvenis aliquando, quum e patrio solo in alienas terras se conferret, cuidam puero manum canis dentibus recisam restituerit. Scio in S

Mart. vita apud Cajetanum de peregrinatione ejus per Siciliam prorsus nihil memorari; nam e patria Selinunte Angeli monitu, navi in Lucaniam evasisse, ibi dicitur. *Eos igitur Angelus ad mare quum adduxisset*, inquiunt acta, & Cajetanus animadvertit: *Locus haud procul Urbe Mazaræ ad meridiem, ipso in littore ædes est Divo Vito dedicata*. Verum enimvero sunt, qui acta hujusmodi confusa, ac forte de duobus Christi Domini athletis ejusdem nominis conflata esse affirmant, uti Bollandistę admonent. Quamvis autem de peregrinatione non constet, traditiones etiam aliis in Ecclesiis circa illam passim vigent, quas Ughellus Ital. Sac. tom. 7. & *Rebalbutanorum* vel maxime, non improbat.

Jam medio penè opido tria Sanctimonialium Monasteria haud multum inter se dissita in conspectu ponuntur, quæ singularem præseferunt elegantiam. Vetus præ aliis *S.* Mariæ de Gratia, ubi S. Benedicti regula servatur, situ parumper elato, edificiis nobile, & templo magnifico decorum, arctissimæ, ac religiosę vitæ studiis commendatur. Area, & quidem ampla, quæ ante ipsum sternitur, aliud excipit S. Mariæ de Angelis nomine insigne, cujus author Ambrosius Testai piissimus ex ordine S. Augustini asceta, sub ejusdem S. Doctoris institutis sacras Virgines MDXXVI. collegit, & ad monasticam vitam comparavit. Hujus Ecclesia septemtriones prospectans ornatissima, uti & claustra satis commoda. Ad S. Crucis forum tertium denique S. Joannis Baptistæ titulo, & S. Augustini regulis addictum occurrit, Angelæ Gritti ingenuæ fœminæ divitiis, & opera, in S. Luciæ regione circa MDLXXXVI. excitatum, pari celebritate, & religioso cul-

tu

Digitized by Google

tu cum aliis contendit. At facra ædes præ omnibus aliis opidi totius comptior furgit. Filiales reliquæ Rahalbuti Ecclefiæ octo recenfentur, quas inter eminent S. Sebaftiani Mart: Purgantium Animarum, & S. Antonii de Patavio, in quibus Laicorum fodalitates coalefcunt. Jam publici confilii domus contra majus templum, luci undique pervia, & magnificè conftructa publico adjungitur foro, quod infignes civium ædes ambiunt. Eft Magiftratus electio penes Regios Miniftros, Archiepifcopus vero Meffanenfis, fuis tuendis juribus ex illis aliquot conftituit. Jus gladii ad fupremos Regni Confulares fpectat; fed id fuis prçcefforibus conceffum adftruunt Archiepifcopi. Militię Agyrenfem Præfecturam cives fubibant, peditefque dudum LXXVI. equites VIII. fub fignis procedebant; Eamdem quoque Comarchiam agnofcunt, & Aquilam, in cujus pectore Deiparæ Virginis de Auxilio imago pingitur, in fcuto oftentant. Clerus Catanenfis Epifcopi poteftati obnoxius, ejufdem Vicario fubditur, quod ab initio adverti. Cenfus fub Carolo V. lares exhibuit 1058. animafque 3772. Anno MDCLII. lar. 1518. incolas 3872. noviffime 5894. De Agro ampliffimo frugum cujufque generis divite, & inter primos totius infulæ fertile, dixiffe fufficiat, quod veluti frumenti mediterraneum emporium, uti innui, paffim a Scriptoribus celebratur: nec Baccho aliunde ingratus, nec venationibus, perdicum vel maxime, alteri eft fecundus; Nemoribus denique, aquis, pafcuis, aliifque bonis fcatet.

Celebrat Bonaventura Attardus in Monachatu Siciliæ *Rabalbuti* civem Ambrofium Teftai, qui eximiam literarum peritiam cum pari in Deum pietate con-

conjunxit; ideo ex Errera, & Torello Augustinienſis Ordinis Chroniſtis inter ejuſdem præcipuos viros recenſetur, ejuſque exuviæ a conterraneis in veneratione haberi dicuntur. Commendant quoque Clementiam in S. Mariæ de Angelis Monaſterio ab eodem Ambroſio exceptam, quæ inter primas illius ſacras Virgines ſanctis moribus vixit, exemplisque ſuis aliis præluxit. Deceſſit ille MDXXXIII. Clementia ad annum XL. ejuſdem ſeculi ſupervixit. Laudat idem Attardus Venerandam, & Claradeam in S. Mariæ de Angelis, & Leocadiam in S. Joannis Baptiſtæ clauſtris Sanctimoniales, religioſæ vitæ perfectione, & virtutibus eximias deprędicat. *Protulit* inſuper *Rahalbatum* viros in arte Medica illuſtriſſimos Joannem Philippum Ingraſſiam, & Marcum-Antonium Alaymum. Ille Patavii lauream adeptus, in Neapolitana Academia diu Medicinæ, & Anatomes publicus Profeſſor, ob egregiam doctrinam ſtatua vultus ejus referente, meruit a diſcipulis condecorari; Ingenii quippe vi nova quędam in arte invenit, multa illuſtravit, editiſque operibus poſteris variè conſuluit. Hinc Philippi II. Hiſpan. Regis Archiater delectus, idem munus in Sicilia diu, ac difficillimis temporibus geſſit. Vixit annis LXX, deceſſitque MDLXXX. Marcus-Antonius Alaymus ad inſigne ſcientiæ faſtigium evectus, in Sicilia nedum, ſed per univerſam pene Europam ſummi Philoſophi, & Medici opinione inclaruit. Bononiam ad eaſdem facultates edocendas acceſitus, & Neapolitani Regni Archiater electus, munus utrumque, ut ſibi, ac Deo viveret, recuſavit; non minus enim doctrinâ, quàm morum innocentiâ commendabatur. Deceſſit ſeptuagenario major MDCLXII. Memorantur Mongitori in Bibliotheca: Dominicus Campiſi Ordinis Prædicatorum, ſi-

eris scientiis excultus, & musis non ingratus, Panormi, ac Romæ præcipuis Academiis accensus, editisque opusculis poeticis clarus; Petrus Brachisius Grãmatices professor, quam suis lucubrationibus illustravit; & Petrus Macharonus Philosophus, & Medicus non vulgaris, qui peste grassante anno MDLXXIX. peritiam suam detexit, *Medica Responsa* vulgavit, & ad annum MDCXXX. superstes fuit. Attardus rursus suos laudat Joannem Matthæum Gualteri Oratorem, & Theologum eximium, Melchiorem Tettai Latinis, Græcis, & Hebraicis literis doctum, aliosque. Lucis uxura gaudet Epiphanius Guarneri Ordinis *S.* Basilii Abbas, ingenii præstantià, ac memoriæ fœlicitate paucis hodie secundus, vir ingentis lectionis, in sacris Ecclesiæ sanctionibus, sæculorum omnium historiis, ac Theologicis morum Quæstionibus apprime versatus; vitæ vero, atque animi candore præcipuus, & Regi idcirco, ut ad Episcopatum promoveretur cum primis oblatus. Opidi latitudo est grad: XXXVII. longitudo grad: XXXVIII. XV.

RAHALCACCIA Syracusanę Ecclesię olim Casale, in cujus agro fons celebris, & copiosus pass. M. VI. ab urbe, de quo Fazellus. Anno MCCCXX, ejus erat Dominus Joannes de Ricca ex concessione dudum facta ab Episcopis Syracusanis. Novissimè juris erat Balducię nobilis gentis *Syracus.*

RAHALCHIDIA, & *Rahalbadia* ejusdem Episcopatus Casalia, quorum in suo diplomate anno MCLXXVIII. meminit *A*lexander III. Rom. Pont.

RAH*ALMASSER*, & *Rahalmesten* ad *S.* Joannis Jerosolymitani Messanensem Prioratum spectantia in Leontinis finibus casalia, supra lacum ad aquilonem me-

memorantur in Friderici Cæsaris literis anno MCCXIX. ubi ejusdem Prioratus bona enumerantur. Hodie Melitenses *Agri* vulgo audiunt.

RAHALMENIS Casale, aliter *Racamenis*, juris Joannis de Cruillas Francifontis Dynastæ sub Martino Rege.

RAHALMET, seu *Raculmet*. Vide Riesium.

RAHALSESEN Casale cum amplissimis feudis, Galatajeronensibus in *S.* Petri ditione ad meridiem a Friderico II. anno MCCXCIX. concessum. Ibi suberum sylvæ, aquarum rivuli, saltusque ad venandum aptissimi, pinguia pascua, ac sativæ cujusque generis frugum terræ.

RAMBALDUM Casale in agro Platiæ, de quo Chiarandanus.

RAMMACCA. Opidulum in collibus supra Catanæ planitiem novissimæ originis; ad ortum, & septemtriones sedet, amplis, rectisque viis descriptum, cum æde parochiali Virgini Deiparæ nomini sub titulo Nativitatis dicata, Dynastæ eleganti palatio, ac decentissimo Minorum Capuccinorum Cœnobio, quod circa meridiem ad jactum lapidis dissidet; Parochia pene medium cum area, Palatium supremas oras occupat. *Rammaccam* porro agrum, vulgo feudum juris olim fuisse invenio N. *de Cardona*, subinde *Riccardi de Passaneto*, ob cujus defectionem anno MCCCXCII. circiter *Jorlandus de Motyca* tenuit, unde ad Gravinenses devenit; ex quibus *Hieronymus Gravina* Paliconiæ Dominus anno MCCCCXC. primus *Rammaccæ* Baro inauguratur; Hunc excepit *Joannes* filius MDXVII. unde *Hieronymus*, primus Francifontis Marchio; ex quo *Octavius S.* Michaelis Dynasta anno MDCXLI. *Sancius* hujus

hujus filius Principis insignia obtinuit MDCLXXXVIII. Caroli II. Regis privilegio. Sancio, & Rosalia Sarzano genitus *Octavius* inter XII. Regni viros effulsit, hominesque congregare cœpit, qui cum Anna Antonia Farina *Bernardum* procreavit, hodie a Regio cubiculo, dudum XII. Regni virum, prudentia, morumque gravitate conspicuum. Huic Stephana Bononia Octavium filium peperit, Mariæ Teresiæ Galletti virum. Distat *Rammacca* a Palagonia IV. circiter pass. M. solo gaudet fecundo; quod novissime Bernardus Feudo Monachorum auxit; clauditur Catanensis parochiæ finibus, cujus Episcopus suum ibi Vicarium designat. Est in *Rammac.* agro Fons aquæ, bitumine infectæ, & sulphure.

RAMUNDINUS Lacus ad Pachynum, de quo Fazellus lib. 5. cap. 1.

RANDASINUM Casale. Vide Piedacis.

RANDASIS fluentum agri Netini in Elorum influens. Cephalis abundat, & anguillis, trottasque fert sapidissimas.

RASACARAMIS Statio in australi littore post Pachynum, ad S. Crucis fluminis ostia; aliter *Scaramis*. Est ibi ejusdem nominis Caput, congruitque nomen; nam Sarracenis *Ras* Caput significat. Vide *Cauzona*, *Bucra*.

RAUBIUM, & *Raumbaldum* Agri Platiensis casalia, de quibus Chiarandanus, Versus, & Massa.

RAYANCINUS Statio ab Alpusallo, seu Puzzallo pass. M. III. in ora meridionali, cujus Fazellus meminit lib. 5. cap. 1.

RECAMENUM Casale ad Gerardum Montaltum Bucherii Dominum spectans, in Regesto MCCCXX. memoratum.

Digitized by Google

REFUGIUM Apollinis, & Templum ad Pachynum. Consule *Apollinis Refugium*.

REFUGIUM CHALÆ. Vide *Chalæ Refugium*.

REINA Fluvius oritur ex fonte Gileppo, cujus aquæ Bucherium opidum interfluunt, & per Leontinos ad occasum agros, diversis fluentis auctus, decurrens, ab ea urbe haud procul Vivarii aquas excipit; ponte mox ab Ægrotis appellato trahiicitur; Hinc in Paludem vulgo *Pantanum* se exonerans, ibi stagnat; tandem in sinus Catanensis ora prope Aniunis emporium mari illabitur. Hunc veterem esse *Teriam* alibi ostendo.

REINDETGEBUNI. Casale, quod Ecclesiæ Syracusanę dono dedit in agro Ragusię Silvester Marsici Comes, *Rendetgrebin* alibi dictum. Juris dicebatur Simonis Januensis, subinde Mainitti de Sortino.

RENDA Arx, seu Turris in mediterraneis supra Vindicaris portum ad Pachynum. De ea Fazellus lib 10. cap. 2. Memorat Pirrus *Rendam* Syracusanæ Ecclesiæ Casale.

RIESIUM Opidum in agro ejusdem nominis sub Syracusana Diœcesi, circa elapsi sęculi medium ortum recognoscens, ex tenuibus nempe initiis, & mapalibus, opera & sumptibus Petri Altarivæ feudi dynastę; alio hinc vocabulo *Altariva*, (ut olim *Rabalmet*) dicitur. Situs opidi in levi tumulo læta planitie extenso, ab ortu, meridie, & occasu vētis afflato, ad septemtriones vero colle assurgente, frigori minus obnoxio. Temperato hinc aere gaudent opidani, atque in dies augentur. Major Ecclesia anno MDCLVIII. ab eodem Petro ędificata sub S. Mariæ de Catena titulo, ac decurrentis sęculi anno XXIV. a Bartolomęo de Monchajo ma-

magnificentius extructa, quum majori ex parte corruisset, Blasii Vignoalis, qui dynastæ vices gerebat, opera subinde instauratur, ac sacro oleo de more Ecclesiæ a Mattheo Trigona Syracusano Episcopo MDCCXLVII. inungitur, Sanctisque Martyribus Clementi, & Sabinæ dicatur. Huic duæ aliæ minores subduntur. Jam viæ rectæ sunt, incolæ decenter habitant, quorum numerus anno MDCCXIII. fuit 2127. in focis 540. novissimè animæ 2514. computatæ. Ager oletis, vineis, pistaceis consitus, fruges abunde reddit, copiosasque suppeditat messes; abluitur meridionali Himera sive salso flumine, nec fontibus caret. Sulphuris minera præ ceteris in eo celebris habetur; unde non leves proveniunt dynastis redditus, quæstusque opidanis.

De *Riesii* Dominis habet Lucas Barberius: ex *Francisco Vigintimillio*, celebri Jeracensium Comite seniori, quinto loco natum fuisse *Philippum*, qui ducta in uxorem Constantia Abbate, *Antonio* tertiogenito *Riesis*, ac Chipullæ feuda prope Buteram, Petraprètiam, & Mazarinum assignavit. *Antonio* sine filiis decedente, illius bona *Andriotta* ex fratre nepos assecutus, quum prole etiam careret, *Ingastono de Castellar* legavit. Ortus hic fuerat ex Hilaria juniore, quę ex altera seniori Hilaria Philippi filia processerat. *Ingastonem* excepit *Eleonora* filia, quæ *Joanni Rois de Caluna* nupsit, Ferdinando Regi a Secretis. Hinc in Martini Regesto *hęredes Philippi de Vigintimillio pro feudo Riesis, & Chipullæ* obnoxii dicuntur. Idem Martinus *Palmerio de Caro* anno MCCCXCVII. nihilominus concesserat. Post Joannem Rois alii Hispaniarum proceres tenuere, quos inter Joannem Herrea Muxiani apud Valentinos dominum, *Riesis* Baronem in-

venio. Seculo XVII. *Petrus Altariva* obtinuit, cui *Didacus Moncayo* Coſcoquelæ Marchio ſucceſſit; Didaco *Bartholomæus* filius, & hujus unica hæres *Joanni Joachimo Pignatello* nuptui tradita, *Ritſim* dotis nomine contulit.

RINDIN, & *Rilmadalis* Caſalia, juris Petri de *Motyca*, uti in cenſu MCCCXX. *Reddini* ſeudi eſt mentia ſub Martino, cujus dominus *Conradus Lancea* dicitur gentis de Motyca hæres.

RIZZI Turris inter Mauli fluminis fauces, & Alfuſalli arcem ad oram inſulæ maritimam auſtralem.

ROCCADIA Monaſterium in agro Leontino ad III. olim paſſ. M. ab urbe, ſub nomine S. Mariæ & Ciſtercienſi ordine, incertę fundationis alibi in Monaſticis Siciliæ hiſtoriis dixi. Sed Northmannis Principibus illius originem adſcribendam ex antiquis chartis nuper inventis didici. Antiqua Cœnobii ædificia jacent derelicta, quæ inter, triclinium memoratur, cujus fornicem palmę truncus e lapide eleganter elaboratus ſubſtinebat, ramis vario artificio etiam interiorem fornicis faciem ornantibus. Hodie apud Caroleontinum degunt Monachi, uti alibi dixi. Abbas Fiduciarius in Comitiis locum XXX. inter primates obtinet, eſtque nunc Emmanuel Filingerius.

ROCCADIA parva Inſula in ſinu Megarenſi, hodie ab Auguſta appellato. Diſtat a littore poſt Tapſum peninſulam ab ſeptemtriones ad jactum lapidis; ejus eſt circuitus paſſ. XL.

ROSMANNUS Collis, ubi Eremitarum Domicilium, quod incolatu ſuo Joannes Sacerdos moribus, & vita inſignis aliquando nobilitavit. Eremi Eccleſia Deiparæ Virgini ſacra. Stabat dudum in collis auſtrali latere

Digitized by Google


tere opidum Vberto de Scaloris obnoxium, ob cujus defectionem solo æquatum est. Rudera vetustioris passim quoque spectantur: *Rosmannus locus est*, inquit, Fazellus lib. 10.; VI. *pass*. M. *ab Enna dissitus, ubi dirutæ urbis, arcisque sunt monumenta*. Occurrunt enim sæpissime Sepulchra, & in iis vasa, lucernæ, aliaque veteris habitationis indicia. De Magella cogitat Cluverius, quam alibi stetisse docui. Vide *Magella*

ROSALINIS Opidum inter Netum, & Jnspicæ fundum, ab hoc tribus circiter pass. M. dissitum, origine recens; Venerabili Eucharistiæ Mysterio sacrum Princeps habet templum, ac decentem dynastæ domum. Sedet in levissimo declivi ad ortum, & meridiem in agro cognomine, & Syracusana comprehenditur Ecclesiastica comarchia. Prope S. Theodori crypta videtur, in qua vetus S. Crucis signum multis prodigiis celebre, ob id sæpissime, totius populi frequentia, in Opidum illatum. Præcipuam Patronam opidani Deiparã sine originali labe conceptam ferventissimè colunt, sub cujus auspiciis in dies coalescunt; anno enim MDCCXIII. focos 45. animas 191. numerabant, sed in ultima recensione ad 1538. excrevere *Joannes Baptista* Platamonius primus *Rosalinis* Baro recensetur, de quo satis in Historiis; floruit, enim sub Alphonso Siciliæ Prorex. Ex eo *Antonius*, qui a Ferdinando Rege congregandi homines facultatem obtinuit, ex literis Hispali scriptis XV. Januarii MCCCCLXXXV. Id autem Netinis civibus noxium quum videretur, tunc quidem dilata res est; sed post elapsi sæculi medium fundatio novo Regis decreto firmata, & *Franciscus* Antonii abnepos, primus *Rosalinis* Princeps subinde MDLXXIII. inauguratus est, novæque hujus

jus dynastiæ author evasit. Ex eo & Euphemia Deodata *Antonius* prodiit, qui cum Constantia Requesens *Eleonoram* procreavit. Hæc *Francisco Moncada* Lardariæ Principi nupsit; Vnde *Litterius*. Ager amplissimos fundos complectitur, frugum, vini, olei, & aliorum fructuum feraces.

ROVETTUS Salina ad Pachynum in orientali plaga. Ampla quidem, & quæ peninsulam quamdam efficit, uti Fazellus scribit, & Netino territorio concluditur. Erat olim *Mainitta de Sortino* obnoxia, hodie ejusdem domina dicitur *Lucia Deodata & Landolina*. Quod Machara vetus urbs in ea peninsula fuerit idem Fazellus tradit. Vide *Machara*. Ego ignotæ urbis monumenta, ea, quæ in illa sunt rudera, aut Ichanæ censeo.

RVGGIVS Fons Sortinensis fluenti, cujus aquæ Syracusis usque per aquæductus magnificentissimos ab antiquis institutos derivantur.





AMBVCIS Casale in Leontiuo territorio ad occasum cum turri, amplissimus hodie ager sativus, cujus in Friderici II. censu fit mentio, & *Adnolfi Mortillari*, ac *Nicolai de Lamia* pro ęquali parte juris esse dicitur. Sub Martino vero *Gerardus Sabuci* possidebat. Spectat nunc ad *Alphium Antonium Calaxibettam*.

SALICIS Fons, unde Yhadeda, seu S. Julianus fluvius ortum habet, p. M. supra Leontinum ad austrum.

SALSUS FLUVIUS, Himera meridionalis, nonnullis Gela, Valles Netinam, & Mazariensem dividens, ad Nebrodem Montem, vulgo *Madoniam* caput egerit, ac sub Leocatæ męnibus mari illabitur. De eo fusius tom. II.

SAMVEL Fons cum altero S. Pauli lacum Corciuri piscosum, haud procul ab ora australi, circa Hirminium, & Siclensem fluvium gignens, de quo Aretius. Fazellus cum *Pixotta* confundit, ac stationi proximæ nomen mutuare affirmat.

SARRACINVM Casale olim in agro Platiensi.

SARRACINVS Mons in eodem territorio.

SBRVFFAROLA Cryptæ in australi littore, ob id appellatæ vulgi Siculi lingua, quod in eas regressi fluctus maris, scopulis illisi, spuma edita, ingentem reddunt sonitum, Fazello authore.

SCALA LILIORVM, & rectius *Scala de Gigia, sive Ogigis*, uti Eruditi vocant, in agro Melillis ad collium radices, ubi *S.* Cosmani fluenti caput est. Ibi frequentia sepulchra, unde non levis magnitudinis ossa passim educuntur, quorum aliquot in Catanensi *S.* Nicolai

colai Musæo asservamus, & immanis staturæ hominum esse videntur. Cryptam quoque ostendunt satis amplam, cum ingenti hjatu ad ortum, quam veteres ab imis partibus adhibant, unde etiam ad superiorem patentem agrum ascendebant. Hic vero vulgariter *Muraglia* dicitur, quod rudera, substructiones, ac murorum reliquias, nec leves habeat, antiqui Magarensis, sive Hyblensis municipii cujuspiam monumenta. De his, alisque paratum prælo opusculum Bartholomæs Albanus tenet, quod propediem lucem aspiciet.

SCALAMBRIS Statio in littore australi, alio nomine *Scaramis*, ubi olim vel *Caucana*, vel *Bucra*, uti alibi dixi. Vide *Rasacaramis*. Ibi Turris est specula.

SCALPELLUS Mons in Agyrensi territorio ad meridiem, Chrysæ, vulgo Dittaini amnis ripis incumbens, in cujus vertice Eremitarum domus, qui vitam ibi piis operibus intentam agunt. Illius author Philippus Dulcettus Presbyter Agyrinus, moribus incorruptis præditus, ac Deiparæ cultui addictus. Post eum Mattheus Rotolo Calatajeronensis, Seraphinus a Francofonte, & Didacus a Sinagra, omnes ob eximiam pietate commendati, incoluerunt, In Pontificio Benedicti XI. diplomate, quo Monasterii S. Philippi de Agyrio bona enumerantur, Casalis de Scalpello fit mentio. Mons ad radices usque fruticibus convestitur, supremus tantum ejus tumulus coli aptus in longam planitiem distenditur, domesticisque arboribus consitus necessaria suppeditat.

SCICLIS vide *Siclis*.

SCORDIA. In agro cognomine Opidum, ab Antonio Branciforte sub collibus, quibus insidet Militellus, humili tumulo, exacti Sæculi anno XXVIII. inædificatum,

catum, a Leontinensi lacu pass. circiter VIII. circa ejusdem occasum dissitum, atque insalubris idcirco aeris, Principatus prærogativa gaudet; quartus hinc, & vigesimus est illius dynastæ locus in Comitiis. Laribus censebatur sęculo XVII. 210. incolis 520. decurrentis anno XIII. lar. 520. incolis 1632. & in novissima lustratione 2692. ac Leontinensi comarchia compræhenditur. Vergit porro ad meridiem; vię ad rectos angulos omnino æquales, pręcipuas cœli regiones respiciunt; Principis palatium amplum, & quadratum; Ecclesia præcipua unica parochialis S. Rocco dicata, Curioni subditur, ex institutione Syracusani Episcopi, qui moderando clero suum deligit Vicarium. Divus idem est tutelaris, sed præcipuo etiam in cultu est Deipara, sub titulo dę Rosario, ejusque tabula Angeli Caravacii opus, eximiæ artis ac pulchritudinis visu digna censetur. Filiales Ecclesiæ tres S. Mariæ de Gratia, Montis Calvarii (extra), et Purgantium manium, non inelegantis sunt schematis; sed Minorum de Reformatione cœnobium decentissimum cum Ecclesia S. Antonio Patavino nuncupata ad aquilonarem plagam splendet. Ibi Principum est sepulchrum, elegans S. Annæ tabula Petri Rubens penicillo exarata aram exornat; in amplo eorum viridario crypta aquas emittit sulphureas, quibus quandoque cum salutis proventu pro balneis utuntur. Orphanotrophium pro puellis, & Mons-Pietatis etiam spectatur, ad pauperum levamen, ex Josephi Brancifortii, Antonii Nepotis institutione. Agrum circumque ad meridiem, & ortum fontes copiosissime irriguum reddunt, & pascuis idcirco, segetibus, vineis, cannabe, arboribusque alendis aptissimum; perdices vero, rusticolæ

 asta-

Digitized by Google

sit, & Catharinam Brancifortiam ex ducibus S. Luciæ primo, eaque mortua, Annam Naselli Aragoniæ Principis filiam conjugem tulit, ex eaque *Herculem* IV. Hieronymum, plerosque alios procreavit. Antonius hodie Rom. Pon. apud Venetos legatus, & SS. Trinitatis de Mansione Panormitana Abbas effulget; *Hercules* cum Beatrice Brancifortia adjunctus, a morte Nicolai Placidi Soceri Leonfortis Princeps etiam evasit, quod ex Blasco Brancifortio Tavis Domino recta descenderet. Ejus est filius primogenitus *Joseph*, II. Stephanæ Valguarneræ ex Asfori Dynastis copulatus, qui ad Regem Carolum nuper Regni Siciliæ legatum gessit.

SCUMA Fluvius, emergit sub Lycodiæ collibus ex fonte Nuciforo, auctusque Callaris, Minachi, Ciramiti aquis, Militelli agrum præterfluit, cujus etiam aquas recipit. Sub Francofonte in loco Barrifaudo molas frumentarias complures convolvit, divisusque sinistro ramo in lacum Leontinensem illabitur, dextero sese Reinæ amni M. circiter pass. a Leontino conjungit. Vide *Reina*, *&* *Teria*.

SELLA ORLANDI. Ita incolis collis jugum appellatur, ad cujus latus vetustissima urbis dirutæ monumenta prope Aydonem spectantur, vulgi vocabulo Cittadella. De ea Fazellus lib. 10. cap. 2.

SELMUM. Scopulus circa Melitam insulam, in portu S. Pauli, sed insulæ continenti augusto isthmo adjunctus. Dithalassus esse, cujus S. Lucas in Actis Ap. meminit, & ad quem S. Pauli navis allisa naufragium fecit, multis ostenditur ab eruditiss. Francisco Agius suis Apologeticis opusculis de eodem Naufragio, quod Melitæ Africanæ invicte asserit.

SERRAMEZZANUS. Collis ad Sortinum undi-

que præcisus, incubens Fazelli ętatę eidem opido ad austium, ad cujus radices uberrimi fontes duo magno impetu exoriuntur, *Buttiglieriæ* vernacule vocati, qui & ipsi statim fluvium efficiunt.

SERRAVALLIS Turris in agro ejusdem nominis, & Menensi territorio. Castrum appellat Fazellus lib. 10. Juris erat *Goffridi de Tracto* circa sęculum XIV. sequentis anno VIII. dicitur *Joanni de Taranto* obnoxia. Quod Goffridus de *Taranto* etiam diceretur, sub dubito, atque amanuensis errore de *Tracto* sit appellatus. Taranta gens Catanæ florebat, *A Tarantis* porro ad *Scalambros Serravallis* devenit, unde ad *Grimaldos*. Obtinet hinc hodie Castrum, feudumque *Serravallis Henricus* Princeps *Grimaldus* Motycanus, & Catanensis Patricius.

*S*ICA Suburbanum Syracusarum opidum, Thucydidi memoratum. *S*ub Epipolis statuit Mirabella, Aretius, & cum eo Goltzius ibi etiam recognoscunt, atque eo in loco situm dicunt, qui hodie *Sinarchia* est ager. Bonannus errorem apud Thucydidem irrepsisse tradit, Tychamque Historicum, quæ præcipua Syracusarum erat pars, intellexisse affirmat.

SICLIS illustre Opidum, longe amęnissimum ab Aretio, & recens, novique nominis, sed immerito, uti ostendam, a Fazello, & Pirro appellatum, Motycensis Comitatus est pars, & ad hybernum sedet occasum in collis latere, quem valles dividunt, vulgo *Cavæ*, ab ortu in occidentem, redduntque veluti tripartitum. Et vallis quidem major a S. Venera dudum, indeque S. Mariæ de Nova, angusta, & profunda in supernis locis, plana & latior ad imas radices desinit, altera *S*. Bartholomęi nomine, austrum versus pluvio tem-

tempore formidabilis evadit. His valles aliæ minores respondent, & variis idcirco tumulis veluti imposita civitas se offert, majori tamen ex parte leviter declivis, cum sacris tum civilibus ędificiis superbit. Eius est a Motyca pass. IV. M. distantia, ab australi insulæ littore M. III. Surgebat olim in ejusdem collis vertice; ubi ad annum MCCCL. perduravit. Spectantur hinc in supercilio Arcis triangularis, hodie *Castellucii*, vestigia, insignis vetustatis non obscurum argumentum; infra Arx altera, Major dicta, ex ruinis dignoscitur; hinc ex męnibus supersunt rudera; ex portis una tantum, quę ad Motycam ducebat, cum nomine perseverat. Sed cuniculares e summo ad imas valles vię in vivo saxo per gradus ferro excisæ dignę sunt præ cæteris, quæ memorentur; Quarum una ad majorem S. Mariæ de Nova deducit vallē unde in uberrimam aquarum scaturiginem gradatim quoque descensus patet; altera ad frumenti molas; ac tertia denique in subjectam aliam specum, ubi perennes sunt latices, dimittit. Hæ porro, uti triangularis turris, necnon alia monumenta, mortalium ingentis staturę ossa, vasa, lucernæ, numismata, sepulchra, passim per alia montis latera, & in subjectis fundis defossa, de antiqua oppidi fundatione nos admonent; quamvis, & incertum sit tempus, nec signanter de nomine constet, uti inferius expendam.

Princeps Templum S. Apostolo, & Evangelistæ Matthæo sacrum, toti opido dominatur, & ad veterem illius situm olim spectabat; hinc Motycæ porta, cujus paullo ante memini, non longe surgit, ubi ardua incipit via ad eamdem hodie Ecclesiam ducens; Hæc insigni Canonico Collegio ab anno MDCL. Fran.

An-

Antonii Capoblanco Episcopi rescripto, mox Alexandri VII. Rom. Pon. decreto MDCLVI decorata, Archipresbyteri, qui & Parochus est, inspectioni subest, ædificiis, prospectu, ęris campani turri, omnique alio ornatu nobilis. Altera *Siclis* Parochia S. Mariæ de Platea titulo fulgens, medio sedet opido, proprio sub Curione, amplitudine, elegantia, columnarum nitore, populi frequentia, civium cultu, quod magis sit obvia, cum primis celebris. Collegialis est insuper S. Bartholomæi vetus ædes prima omnium anno scilicet MDCXLII Innocentii X Rom. Pont. diplomate, eam adepta pręrogativam, quæ loco editiori ad ortum hybernum, sub valle ejusdem nominis in conspectu ponitur. Sed nulli secunda circa majorem vallem, & orientis plagam S. Mariæ de Nova assurgit Ecclesia, cujus frons cum turri ad omnimodam magnificentiam splendet, internusque cultus ęque decorus, dives, comptusque nitet; aucta & ipsa Alumnorum XVI Collegio ab anno MDCLXXII, qui divino famulatui quotidie intendunt, ac pingues habent proventus. Quartum denique Collegium in S. Mariæ de Consolatione coalescit Basilica, ejusdem sæculi anno XCIV constitutum, imminetque illa valli ad dexteram non ineleganter constructa. Ultra vallem S. Bartholomæi, ad austrum S. Joseph pulchra Ecclesia, ubi Sacris populo administrandis Principis templi Parochus opportunam dat operam; ampla enim a septemtrionibus ad meridiem recta præcurrens via utriusque Parochię limes est, pro quo jurgia nihilominus vigent, adhuc sub judice.

Est in summa religione *Siclensibus* S. Guillelmi crypta, ubi ille diu vixit, & ad cœlos evolavit, pone Templum S. Mariæ de Nova in valle minori sita,

que

quæ ab eodem Divo nomen etiam ſortitur. Corpus exanime, quum de ſepultura orta eſſet contentio, plauſtro impoſitum, boves ad illud adjuncti ſine aliquo duce ad S. Matthęi, per invia, & ardua loca deduxere, ubi colitur, & pręcipui opidanorum Patroni prærogativa gaudet. De Guillelmi patria, & familia lis etiam obſtrepit; quod Netinus fuerit de gente Bucceria, jam ſupra ſtatui; contendunt nihilominus ſolum ejus patrium *Siclim* fuiſſe, familiam Cuſſitellam; paſſim tamen Scriptores Neto adjudicant. Non minori pietate Deiparam ſub titulo de Militia Cives colunt, vulgo de *Milici*. Fertur enim Rogerium Comitem haud procul *Sicli* ingentem Barbarorum manum protriviſſe, Virginis Matris præſenti adjutus auxilio, quę equesſuis, qui pauci erant, ac *Siclenſibus* ſociis, dum pręlium urgeret, ſeſe ſpectandam dedit. Equi ſignum in rei teſtimonium rupibus impreſſum oſtendunt. Comes hinc in peculiaris patronæ ſuę honorem, ac perenne beneficii monumentum Eccleſiam in loco ædificavit, quæ paſſ. M. circiter III. diſſidens, circa ęſtivum occaſum, ampliori ſchemate hodie ſurgit, civesque ſolemni nundinarum die indicto, & ſupplicatione publica quotannis inſtituta, cum equeſtri Virginis ſtatua grati ſeſe præbere ſtudent. Adjuncta Eccleſię Eremitarum domus eſt ſitu per quam amæno. Æris campani turris ex iis una dicitur, ad urbis cuſtodiam deſtinatis.

Regulares familias omnes, *Siclis* fundatas, illa Conventualium Minorum tempore antecellit. Male Pirrus ſub S. Antonino Paduano, & B. Guillelmi ęvo ſedem illos poſuiſſe ſcribit; nam S. Antonius ſęculo XIII. Guillelmus XIV. in vivis agebant. Cagliola originis certum

an-

annum MCCXII. designat; & *S.* Antoninum id forte cœnobium invisisse conjectat; unde titulum sumpsit. Quo B. etiam Guillelmus subinde exceptus; Petrus demum Ruvectus Ragusensis anno MDXIV instauravit. De Guillelmo alibi dixi, & nonnulla inferius subdere non gravabor. Sedet in extrema occidentali ora post vallem. Carmelitis celebrior locus obtigit. Pirrus idem ab anno MCCCLXXXVI in *S.* Jacobi Intercisi, subinde in Divæ Annunciatæ constitutos affirmat, pluresque ex iis literarum peritia, & vitę integritate illustres prodiisse memorat. In levi igitur tumulo, ampla cũ area, ędes conspicuę, & Ecclesia imponuntur publicæ respondentes foro; sed hæc nobiliori formi diebus hisce istaurari, cœpta inter primas sibi decus vindicabit. Vivunt fratres sub districto S. Marię de Scala instituto. Observantes Minoritani MDLXXXVIII. in S. Marię de Jesu ad hybernum occasũ,non infrequenti regione ejusdem nominis incolunt. Tertii Ordinis ascetę in ęde *S.* Marię de Cruce editum collem ab anno MDLXXI ex Pirro, Antonii Nicolosi opera occupant, publico ęre adjuti: Bordonus autem XX. sęculi ejusdem annum fundationis statuit, & primum idcirco in Sicilia Conventum evulgat. Augustinienses Eremitę in *S.* Marci, hinc in *S.* *S*alvatoris Pirri ęvo degebant, hodie defecerunt. Vincentio Rubino ex Predicatoribus agente, ejusdem Ordinis Cœnobium in annum MDLVI. Pius Chronista reiicit, *Siclenses* XVI. designant originis. Tumulus ad ortum ęstivum extra pomœrium decens ędificiũ substinet, cui idcirco *S.* Marię de Monteserrato titulus obvenit. *S.* Francisci de Paula fratres anno MDCXXXI. *S.* *S*alvatoris Ecclesiam sibi compararunt, juxta quam domicilia statuentes ad regulę pręscriptum

vi-

vivunt; Subest locus Principi Ecclesiæ; inde enim ad hanc arduus ascensus incipit. Capuccini demum extra urbem ad austrum D. circiter pass. elato solo, ædem olim Divæ Agrippinę sacram tenuere, Francisco Majorana ejusdem Ordinis Siclense, vitæ innocentia conspicuo anno MDLXII. adlaborante. Ibi eximia Christi Domini e Cruce depositi icon, Philippi Paladini opus. Sub Capuccinis amplissima nundinarum area, de quibus infra. Prioratus S. Laurentii Ordinis S. Benedicti ad jactum lapidis olim, S. Philippi Agyrensi Monasterio subjectus, hodie intra mœnia est, cujus Prior titulo *SS.* Philippi, et Laurentii titulo ab Agyrensi Abbate deligitur. De Societatis Jesu Collegio ad calcem verba distuli, uti Aguilerę utar loquendi formulis, qui ad annum MDCXXXI. illius initia referens. *Est Siclis*, ait, *elegantissima Civitas Sarracenorum sæculis longe vetustior, quæ ex Casmenæ Syracusanorum coloniæ vastitate ortum duxisse perhibetur*. Situm mox indicat, agrique felicitatem, subditque: *Cives educit ingenio præclaros, & bonarum artium cupidos, sed supra quam credi, aut dici potest, nativi soli studiosos. Et sane singularis hæc patrię caritas condendo Siclensi Collegio aditum patefecit*. Josephus enim Micicheus eques *Siclensis*, ut patrię gloriam augeret, ejusque civium utilitati consuleret, fundandi Collegii curam concepit, & ad exitum strenue perduxit. Nam bonorum suorum hæredem Societatem, ex asse scripsit, & Deipare sine labe conceptæ nuncupatum Templum voluit. Opus adjuvit Hieronymus Riera anno MDCXLVIII, ex asse hæredem quoque *Siclense* Collegium nuncupans, cujus divitiis amplissima ędificatio, ac magnifica Ecclesia cum

eleganti facie instituta ad austrum, ubi area laxior sternebatur, in qua fons salientis aquę perennis;

Sed Sanctimonialium Cœnobia, quibus non vulgare opido decus conciliatur, me evocant. Horum primum titulo S. Mariæ Vallis Viridis, pervetustum, sub Canonicorum S. Augustini institutis anno MDXV. ortum habuit; sed terręmotu quassatum, Syracusano Episcopo annuente, in via cursus ad S. Michaelis anno MDCXCIV. translatum magnificentius surrexit. Dicitur Abbatia Grandis, & ejusdem S. Archangeli nomine passim venit. Alterum S. Joannis Evangelistæ medio elapso sęculo ad Benedictini Ordinis perscripta Joannis de Stefano divitiis fundatum anno LXXXVII, ex celebri Parmensi Monasterio coloniam excepit, & ab eximia virginum in eo degentium vitæ integritate commendatum, a foro haud procul assurgit. Tertium ab Immaculato Deiparę conceptu appellatum S. Teresiæ regulam profitetur. Constituit anno MDCLXX. Beatrix Giuca piissima fęmina ad forum Collegii. Quartum sub eodem instituto S. Claræ titulo gloriatur, quod ab anno MDCLX. erectum Franciscus Capoblanco Episcopus clausura, uti dicunt, subinde vallavit. Postremum S. Mariæ de Angelis puellis excipiendis dudum institutum, S. Francisci legibus hodie subditur, auctum Teresię Quincosæ Valentinæ Matronę bonis, XII. sęculi hujus anno Romani Pontificis decreto firmatur. Piis hisce locis Hospitalis domus ad ęgrotantium curam accensenda post S. Mariæ parochiam, ubi charitatis officia certatim cives exhibent. Parochialibus denique obnoxiæ Ecclesię, quas filiales vocant, supra viginti intra opidi septa enumerantur, earumque non paucæ laicorum sodalitatibus addictę.

Ab

Ab una ex his S. Antonio Abbati nuncupata, media occidua regio nomen habet, quę de *Schifazzo* etiam vulgo dicitur.

Jam privatæ, & bene multæ nobilium ædes visu omnino dignę ornamentum quoque insigne opido conciliant; cujus stemma in parma cerulea leonem exhibet tres sibi e conspectu positos colles veluti salientem. Varia de ejus significatione scriptores gentici proferunt, suorum traditionibus innixi, quę hic expendere longum esset; Titulo hinc Victricis, & Inclytę gaudere *Siclim* perhibent ob victoriam de Sarracenis reportatam, de qua inferius. Supremus in ea Magistratus *Armorum Dux*, late patentis orę maritimæ custodiam commissam habens; Decuriones, & criminum Quęsitor; ille ad nutum Regis, reliqui Comitis arbitrio ad lecti. Supremus indigenæ militiæ Instructor pedites 673. equites 214. ex circum jacentibus populis sub signis educebat. Politia Ecclesiastica Syracusani Episcopi legato demandatur; Civilis ad Comitatus supremos consulares spectat, *Siclis* enim secundas in eo habet. Larium census sęculo XVI. 2665. incol. 11677. sequenti lares 2060. incolæ 7775. sed apud Pirrum foci 2770. animę 11074. adnotantur. Anno MDCCXIII. foci 2633. capita 8886. novissime 11071. Locus in Comitiis *Siclensi* Baroni XLI. competit. Situs ad cœli adspectum latitudinis gradum XXXVI. XXXV. longitudinis XXXVIII. XXV. colligit. Ager denique quum amplissime protensus, majori ex parte ęquus, variis fit amnibus pervius, irriguum quippe illum reddunt Hirminius, & Motycanus, fontesque perennes non pauci; frugum fertilissimus idcirco audit; Vina, oleum, cannabem, fructus, siliquas præsertim, pascua uberrime

fert; piscosos lacus, aptos venationi saltus claudit; greges, armenta nutrit; jucundissimus denique Africi maris late patentis adspectu habetur.

Viros a sanctis moribus, & pietate in Deum commendatos aluit, aut protulit *Siclis*: S. Guillelmum anacoretam, qui ad plures annos, uti vidimus, in specu latuit, denique Aprilis IV. ętatis suæ LXXXV. Domini vero MCCCCIV. animam purissimam Creatori reddidit. Ferunt S. Francisci tertium ordinem fuisse professum. Locatæ illius exuviæ primum in marmoreo sepulchro fuere, quod pro Moticę Comite olim incisum evulgant, intra S. Nicolai Sacellum, hinc in arca argentea, demum in argenteo simulacro, quod per urbem quotannis circumfertur. Mariam Marsalam in cœnobio Vallis Viridis Abbatissam sacratam ex iis, quæ perpetuæ fuere, in Sicilia ultimam, zelo Dei, omniumque virtutum genere admirabilem, de qua Pirrus. Mariam Cœciliam Sanctimonialem in Benedictino patrio Monasterio morum puritate, & innocentia vitæ conspicuam, altissimæ contemplationis studio insignem, quæ Virginis, & cœlitum pręsentia sępissime fruebatur, mortemque pretiosam anno hujus sęculi XV. sortita est. Jam muniis, & dignitatibus clari recensentur a genticis scriptoribus: Joannes Tuccia genere nobilis, scientia, & meritis illustrior, fuit Episcopus Tribunicensis in Illyride regione, floruitque anno MDXXXI. Vincentius Bonincontrus Ordinis Pędicatorum Episcopus primum Amalphitanus Pauli V, cujus erat familiaris, beneficio, indeque Agrigentinus. Hunc Pirrus Panormitanũ appellavit. Conradus Bonincontrus Vincentii diu Vicarius, & Abbas Potentinus. Lucius Crescimannus Melitæ Eques, & Balivus, ejusdem sacræ

cræ Militię ad Innocentium XIII. Legatus. Franciscus Manente, & Franciscus Melphi in Regię supremę curiæ subselliis ob merita, & doctrinam collocati, Scriptores celebrantur: Franciscus Carrera Societatis Jesu, qui humanas literas suis ad plures annos ingenti fructu tradidit, Poesim latinam mire excoluit, & *Pantheon Siculum*, ubi de Sanctis Insulę hominibus agit, eruditis acceptum vulgavit. Panormi finem vitę invenit MDCLXXXIII. Josephus Mazara ejusdem Societatis acerrimi, & feracissimi ingenii, mirę memorię, quod enim oculis semel in libris percurrit, omnino, ut nihil excideret, retinuit, auditamque orationem, utcumque prolixam, nulla verborum immutatione, e vestigio reddidit. Amęnioribus literis severiores disciplinas adjunxit; Messanę hinc in publica Academia sacris tradendis scientis admotus, cumulatissime muneri satisfecit, & Senatui ejusdem urbis acceptissimus evasit. Neti tandem fato occupatus immature periit MDCLXI. Plura edidit, sed ejus Annales Sicilię ab eruditis desiderantur: opus eximium, sed scriptoris morte interpellatum. Marianus Perellus, Sacerdos Ordinis Jerosolymitani, eruditione clarus, de Patrię veteribus monumentis optime meritus, quam Casmenę reliquiis auctam mordicus defendit, opusculo typis commisso. Vitam quoque S. Guillelmi edidit; florebat MDCXXX. Franciscus Cavallo Medicus primum excellentissimus, Minoribus subinde Capuccinis accensus, illustrium virorum in Europa famam ęquavit, a Mantuę duce, hinc ab Anna Hispaniarum Regina, a Leopoldo Cęsare, aliisque supremis dynastis maximi factus. De Rebus medicis, ac de Herbis volumina edidit; ubi chimycę artis, qua præ cæteris excelluit, mira

vul-

Digitized by Google

vulgavit. Laudant Pirrus, & Mongitore Seraphinum Garufium *S.* T. Magiſtrum, qui Concilio Tridentino interfuit ex ordine Carmelitano, Joannem la Plana *SS.* Laurentii, & Philippi Priorem, qui *de Gramatica, & Limam Poetarũ* ſcripſit. Antonium Michaelem, cujus extat *B. Guillelmi vita*. Baltaſſarem Mazara Societatis Jeſu, Franciſcum Siclenſem Minoritam, Michaelem Calvum ex Tertio Ordine, Franciſcum Bonum Sacerdotem, Calogerum Campaillam, & Jacobũ Bonincontrum doctrina clariſſimos, eximioſque Oratores. Julium Xifò, ſeu Iſidorum Spinello Capucinum, Hieronymum Roſa, Vincentium Celeſte, Ignatium Mazara editis hiſtoricis, ac poeticis opuſculis illuſtres; Joannem demum Panormum J. U. doctorem Apoſtol. Protonotarium variis extra Siciliam honoribus cohoneſtatum, ſcientiaque præcipuum. Sebaſtianum Ugolinum inter *Siclenſes* male Pirrus enumerat; fuit enim Raguſanus, ut dixi. Vivit Antonius Carioti Patriæ Archipresbyter, Etruſcæ poëſi ac philologicis ſtudiis, humanis, diviniſque ſcientiis addictus. Ejus prodiit *Parnaſus Lauretanus*, expectantque hiſtoriæ amatores uberrimas *Siclis*, olim Caſmenę notitias, quas prælo paratas habet.

Hic tandem promiſſis faciam ſatis, ac de *Siclis* vetuſtate, quam a Siculo appellatam volunt, mea proferam. Aretius enim primus de *Siculo* meminit: *Amnis*, inquiens, *Motycenſis, ubi Xiclim longe amœniſſimum opidum, quod Siculum tunc dictum puto, adit, ſeſe in pelagus effundit*. Hinc Joannes la Plana de Siculo Rege canit.

A Siculo Siclis, mea patria, Rege ſuperbit.

Cluverius ſubinde de Caſmena apud *Siclim* cogi-

tavit.

tavit. *Hinc Casmenas fuisse divinaverim, ubi nunc nobile, atque amœnum in primis conspicitur oppidum vulgari vocabulo Sicali dictum*. Alios post Cluverium ejusdem fuisse mentis non inficior; Nec enim ad Garrerę censiones attendendum, qui Christiani Arabi de fonte juxta *Xiclis castellum orationis tantum tempore aquis redundante, verba* expendens, perperam eruit Northmannorum ævo *Siclim* vix extitisse. Triangularem itaque arcem, vias cuniculares, gigantum ossa, aliaque vetustatis monumenta, de quibus dixi, certa quidem præbere vetustatis indicia affirmo; sed tempus inde fundationis, aut nomen ex illis colligi vix poterit. De Herculis idcirco per *Siclim* transitu, quum hic Sicilię promontoria inviseret, quod numismatum ope, & urbis veteri scuto evincere conantur, quid proferam non habeo. De Agro Siculo contra Æolias insulas Thucydidi memorato, minus audeam judicium ferre. Æolias quippe insulas, hodie Liparitanas appellatas invenio ab Æolo illarum Rege, & Pelorum versus Siciliæ obiacentes esse constat. Milichium fanum, ludosque prope Dianæ fontē memorant, quę circa hęc loca mortales incoluisse arguunt. Sic Camerinæ celebris urbis, olim Hyperię propinquitas; sic Pheacum terrę nostris vicinę; sic Cocali regia Camicus idipsum evincunt; De nomiue vero, aut tempore signanter innunt nihil. Herços hic stetisse montes Scriptores aliquot ex nostris opinarunt, alii, nec minoris quidem notę, alibi statuere; Ego non inanibus quorumdam conjecturis & authoritate fretus, ubi mons Maro assurgit, hodie Madonia, locandos opinor. Daphnis, Mercurius ad Herços pertinent, quocirca ad varios in Sicilia colles, uti varia authorum opinandi de illorum situ, sunt placi-

placita. Cudendis demum monetis destinatam a Marcello Consule *Siclim*, subindeque ab Grecis Imperatoribus in variis numismatis cum typo S C L. se legere affirmant. At enimvero hanc solam latuisse Eruditis officinam, ubi es percussum, Romanis, Græcisque Siciliam moderantibus, in animum quis unquam induxerit? Id igitur censeo *Siclim* ex vetustis insulę olim effloruisse; originis ęvum, vocabulumque latere, nec certi aliquid posse expiscari,

SICLIS FLUVIUS Ptolemęo Motucanus, quia supra Motycam ortum habet ex Puteo Prunorum, & *Siclensis*, quod ejusdem urbis fines, & agrum alluit, paullo antequam mari sese adjungat, lacum auget, quem magnum appellant, illumque piscosum reddit. Hinc ostium sibi inter Hirminium, Aynlucatę fontem, & Horreorum stationem, ubi olim emporium, aperit.

SIMONELLUM fluentum in Melillis agro, quod anno MDCXCIII. colle ob terræ concussionem subsidente cursum mutare coactum est; vallemque occupans, lacum inde stagnantibus aquis produxit, qui hodie perseverat.

S. SOPHIA Crypta prope Ferulam opidum, ab incolatu ejusdem virginis celebris; diu enim, uti ferunt, dies ibi illa produxit, quæ in summa adhuc religione habetur.

SOPHIANA. Locus in agro Platię, olim Philosophiana *Gelensium* in Romano Itinere memorata, ad Gelę fluminis fontes. Alexander III Rom. Pon. fines Syracusanę Dięcesis describens S. Vincentii casale nominat, juxta *Sophianam*.

SORTINUM aliis *Xuthinum*, & Maurolyco, Bonfilio, Littarę olim *Xuthia*, cujus meminit Stephanus

nus; hinc Leontinum agrum, qui ex Diodoro Xuthius ab Æoli filio Xutho dicebatur, ad *Sortinum* usque ab austro protractum credunt. Sed Petro Carrerę *Pentarga* Northmannorum ęvo, sive *Panterga* appellabatur, quod supra adnotavi. In montis vertice late extenso hodie situm opidum, cunctis cœli regionibus patens, ab Syracusis pass. M. XXII, a Leontinis in Septemtriones XIV, inter Melillim, Ferulam, & Cassarum, a quibus pass. M. VII. distat. Olim in ejusdem collis latere circa ortum hybernum stabat, unde ex terręmotu MDCXCIII penitus quassatum prudenti consilio in opportuniorem translatum est locum. Veteres inter ruinas Arx, quæ anno etiam MDXLII. ex alia soli concussione magna ex parte corruerat, magnificentię adhuc signa in ipsis substructionibus servat. Novum rectis, amplisque viis divisum saluberrimi est aeris. Ex illis præcipue in mediam octogonam incidunt areā, quæ fonte magnifico cum clatris, & Famę simulacro decoratur. Princeps Templum in S. Joannis Evangelistæ honorem amplo pronao, alisque adjunctis, fronte elegantissima, ac aliis ornamentis splendidum, *Populi Religione Erectum* Epigrapha declarat, cui laxior planities respondet, Ab illo haud procul circa meridiem Dynastę assurgit palatium visu non indignum. *S.* Sophiæ Patronæ ędes pręcipua, ubi olim sacra populus percipiebat, foro medio respondet, contra quam Deiparæ Annunciatæ Ecclesia subrigitur, ubi summa religione illic colitur ejusdem Virginis tabula, quæ anno MDLVIII. sub *Sortino* veteri aquarum illuvie e loco divulsa; Syracusas usque undarum globis innatans, mirabiliter asportata, indeque ad opidum reducta dicitur, uti Cajetanus, & Pirrus enarrant. Per reliquas

hinc regiones septem aliç decenter extructæ videntur, quas filiales appellant, ac laici sodales frequenti cultu celebres reddunt. In his omnibus Archipresbyter paræcialia exercet munia, sedisque Syracusanæ Pro Episcopo jus dicere competit.

Domus *Sortini* habent Religiosæ Ordinis de Monte Carmelo, Minoritarum Conventualium, & Capuccinorum familiæ. Hi postremi loco parum declivi ad ortum hybernum obtinent situm, amplumque occupant Conventum, quod *suæ antiquitatis jure*, inquit Pirrus, *in provincia Syracusana primas obtinet*. Annales in annum MDLVI. fundationem reiciunt. Minores fratres olim extra ab anno MDLV. adjuncto S. Petri templo claustra incolebant, nunc circa ęstivum ortum cum eleganti Ecclesia ad opidi extremà degunt. Oppositæ regioni Carmelitæ insident, ad hybernum scilicet occasum, cum S. Viti Ecclesia, *cujus dies festus celebris est apud Sortinenses*, ex Pirro, *ob ejus reliquias, & quia ibi S. Martyr aliquando adfuisse traditur*. Sanctimonialium in opido veteri cœnobia duo, S. Benedicti unum MDLXXXV. Petri Cajetani dynastæ sumptibus extructum, Joanne Horosco Syracusano Episcopo concedente; alterum Montis Virginis Ordinis S. Bernardi Cęsaris Cajetani primi Marchionis divitiis MDXC. conditum, ubi ejusdem tres filiæ, alięque subinde ejusdem sanguinis sacrum suscepere velamen. In novo ex duobus unum coaluit, S. Benedicti Montis Virginis titulo sub Cisterciensi regula, & habitu, cujus templum magnificæ molitionis ultimam expectat manum. Virgines ibi alumnæ perfectioris vitæ studiis inhęrent. Deiparæ denique Collegium nuper Josephi Blundi Sacerdotis operâ ad Sancti Antonii

tonii Abbatis Ecclesiam pro sequiori sexu institui cœptum, brevi absolutum iri piorum collatis subsidiis, cives confidunt. Circa collis latus cum celebri S. Sophiæ V. M. *Sortinentium* Tutelaris memoria locus est. Hac enim Virgo, uti tradunt, a paterna imperiali domo aufugiens, ad Siciliæ littus prope Syracusas navi delata haud, procul inde Pantalicam prope *Sortinum* venit, atque in antro delituit, quod adhuc ejus servat nomen. Ibi tandem agnita a Sicilię Pręfecto ad patrem Byzanzium deducta pro fidei puritate martyrium subiit. Habes hęc in Actis penes Cajetanum, Ferrerium, & Pirrum. Hodie piis exercitationibus spiritus, ac secessui a sęculi curis, ad civium commodum ędes ibi constructæ videntur aptissimæ.

Civilis opidi politia penes Cassari Principes ex illustrissima Caietana gente, qui *Sortini* Marchiones audiunt, & in publico Regni Consilio sedem XVII. occupant. Hi magistratus constituunt annuos juxta patrias leges, & gladii jura exercent. Subduntur opidani Syracusanæ comarchiæ, & Pręfecto militari Leontinensi pedites 75. equites 4. suppeditabant. Censebantur sęculo XVI. in laribus 1157. capita 5697. sequentis anno LII. foci 1555. animę 6036. sunt numeratæ; ex Pirro vero lar: 1868. animę 6835. Anno demum MDCCXIII. foci 1166. incolę 4663. hodie 5147. veniunt computati. Jam quum amnes circumquaque montem, ubi opidum sedet, irriguum reddant, valles propterea amęnissimas illius ager claudit multa arbore convestitas, oleribus, pascuis, ac frugibus fœcundas. Fons vero e vertice erumpens *Gucciunus*, aliis sibi adjunctis rivulis ex Argenteo, & Rugio latice perennem statim fluvium parit, qui per XX ferme milliaria Syracusas us-

que ductuum insigni opere, quos veteres in vivo saxo, montibus etiam perforatis, moliti sunt, ad triticeas molas agitandas, partim deducitur; partim terris affunditur, quas fęcundat; Anapumque demum notabiliter auget. Oleta cętero, vineæ, pomaria, horti, alvearia nulli alteri ex vicinis secundum eumdem agrum reddunt; sed præcipuam opidani operam in pulveris pyrii confectione collocant. Illustres viri *Sortinum* habuere patriam Josephus Cajetanus Societ. Jesu genere, & pietate clarissimus, qui XXIII. ętatis anno mundo renuncians, morum innocentiam ad vitæ exitum servavit, quem XXXI. vix emenso, Messanæ invenit vulgaris ęræ MDCI. Egregia illius gesta libro peculiari continentur. Laudant quoque illum Albertus, & Aguilera. Alphonsus de Dominicis Ordinis S. Joannis Jerosol. ejusque Ecclesiæ Prior, vitæ candore, ac scientia eximius; floruit MDCXXXVI. Commendatur denique Mongitori in Biblioт. Vincentius Spineus, qui vitam S. Sophiæ V. M. edidit. Sed ad opidi dynastas descendo, ac de varia illius fortuna simul nonnulla proferam.

Northmannis Siciliam regentibus altum de Sortino silentium fuisse perhibet Carolus Neapolis in suo eruditissimo opere pro Petro Cajetano Cassari Principe. At si Carrerę deferimus autumanti *Pantergam* tunc fuisse *Sortinum* appellatum, quod sibi perspectum esse ex variis veterum scriptis affirmat, *Pantergæ* mentio est in Urbani II. Rom. Pont. diplomate de anno MXCIII. Quamvis Pirrus *Pantergæ* nomine Palagoniam ibi intelligat. *Robertus Parisius* aliunde *Sortini* Dominus anno MCXXXVI. sub Rogerio Rege se offert. Constantia subinde Regina Henrici Cæsaris uxor *Gual-*

terio

terio, aliis *Arnoldo de Motyca*, cujus patrem, quod Tancredo Regi adhæsisset, bonis omnibus Henricus idem spoliaverat, *Sortinum* concessit, cui *Perellus* id-est *Petrus* filius subrogatus. Hic ab Joanne Procida socius in celebri illa contra Gallos conjuratione adscitus, cædis illorum apud *Syracusas* author fuit, & a Petro idcirco Aragonensi summis honoribus, ac ejusdem urbis præfectura affectus dicitur. Meruit sub Jacobo, & Friderico Petri filiis, atque in hujus censu anno MCCCXX. pro *Sortino* aliisque casalibus, & feudis, sacramentum dixit. Id actum credit laudatus Neapolis sub Jacobo MCCXCVI; At enim male Censum prædictum illius editor Bartholomęus Muscia in annum illum reponit, uti ad calcem hujus operis lectorem monitum faciam, ac multis evincam. Ex *Perello Fridericus*, qui Petro II Regi sese probavit, eoque superstite sine legitima prole mortem oppetiit. Hinc inter Franciscum ex thoro damnato ortum, et *Perellum* juniorem Friderici fratris filium de successione valida orta est contentio, tandemque hic secundus obtinuit. Tunc *Sortinum* inter opida, quę Regias partes tuebantur, computatum lego. Franciscus, quem & *Chicchum* Siculo more appellat Simeon de Platia, Claromontanis mox adhæsit, & *Sortinum* invadendum cogitavit. Verum *Perellus* Artalis Alagonæ suppetiis adjutus, illius elusit conatus, quin & ipsum acie devictum ad *Sortini* arcem captivum destinavit, ubi post dies aliquot *Perelli* uxor laqueo suffocatum, pręcipitem ex alto demittit. *Perellum* Ludovicus Rex MCCCLII. suum Consiliarium constituit, bonisque, quibus Franciscus gaudebat, donavit; ipse vicissim strenuam Regi suo operam navavit. Dum porro a curis libe-

liberam vitam degeret, illū Matthæus Moncada opido suo exuere tentabat; quod ubi advertit, coacto milite contra Matthæum duxit, opidulumque Curcuracis, quod illius erat juris, diripuit, ac regiam idcircoindignationem incurrit. Præerat insulæ Fridericus III. cujus inter aulicos Moncada primas obtinebat; arrepta hinc occasione ad Augustæ Comitatus fines augendos, *Sortinū* sibi donari ab Rege exoravit; ac sollēni hujus inaugurationi MCCCLXIV. uti *Sortini* etiam Dynasta Messanæ interfuit. Suis in terim opidanis *Perellus* dominabatur, eisque jura dabat. Vixit ad Martini usque tempora octogenario major, suisque ultimis tabulis, quum prole careret, *Guillelmum Raymundum Moncada* Matthæi filium anno MCCCXCIV. *Sortini* hęredem dixit. Ratum id subinde eodem Martino Rege habente post biennium. Ex quo *Sortinum* Augustę Comitatui adnexum, ejusdem pars dici cœpit. Nec diu sequenti scilicet anno post confirmationem, MCCCXCVII. veluti reus majestatis *Guillelmus* Catanæ conclamatus, bonis omnibus exutus, *Sortino* etiam privatur, ac *Raymundus de Aprilia* illius loco in ea dynastia sufficitur, quę nihilominus ab *Joanne*, & *Matthæo* Guillelmi filiis tenebatur. Rebus compositis, *Aprilia* renunciante, *Sortini* Castrum Franciscus Zagaria est assecutus. Quum porro *Perrachius de Motyca*, Ficarræ, & Galatis Dominus, qui a *Perello* seniore genus ducebat suum, uti vocatus, coram Martino jus suum MCCCCIX. experiisset; ortus enim ex Margarita *Perelli* filia, Avi cognomen, & arma, uti illa suo testamento sanxerat, gerebat, Regio decreto *Sortini* Baro renunciatur. A cujus morte N. soror *Joannis de Eredia* conjux obtinuit. *Joannes* anno MCCCCXL. Alphonsi Regis beneficio gladii potestate

state impetrata, filio *Ferdinando* reliquit; hicque ab eodem Principe confirmatione, cum clausula, uti ajunt, *Juris francorum* obtenta, ex literis MCCCCLIII. subindeque ab Joanne Rege, de alienanda eadem Dynastia facultate exorata anno MCCCCLXXVII. justo accepto pretio *Guidoni Cajetano* illam vendidit; ex quo & Lucretia Barresi *Petrus* filius. Hunc *Guido* II. excepit, eique *Joannes Petrus* MDXVI. confirmatus successit, qui cum N. Crisafi ex Linguegrossæ dynastis, *Petrum* genuit, Catharinæ Syracusę Cassari Dominæ conjugem, unde Guido, *Cæsar*, aliique prodierunt. Per hęc tempora anno MDXLII. Siciliam universam vehemens terræ concussio tremefecit, & Neti vallem præ aliis vastavit. *Sortini* arx media corruens Catharinam, & Guidonem oppressit, nec aliis opidi incolis pepercit. *Cæsar* itaque secundo loco natus, patris heres effectus, ex Antonia de Bosco Vicaris Comitibus orta *Petrum* suscepit Cœnobii Monialium S. Benedicti, uti vidimus fundatorem, circa annum MDLXXXIV. Hujus, & Joannæ de Moncada filius *Cæsar* primus *Sortini* Marchio MDCII. hinc Cassari Princeps Messanæ Strategus & quartum Panormi Prætor effulsit; vices etiam Proregis, quum insula annonæ caritate laboraret, cum gloria gessit. Binas habuit uxores Annam Aragoniam, & Annam de Carretto, ex qua postrema *Petrum* tulit, & Josephum. Ille Antonię Saccano adjunctus *Annam* procreavit, eamque *Ignatio Moncadæ* uxorem dedit, qui a Pirro *Sortini* Marchio idcirco appellatur. Verum Josephi filius *Cæsar* veluti gentilis, & agnatus sibi deberi dynastias contendens, Ignatio sese opposuit, tandemque obtinuit, & anno MDCXLI, *Sortini* Marchio, Cassari Princeps dictus est. Nec diu Mundo valedi-

ledi-

ledicens Societ. Jesu nomen dedit inque *Aloysium* fratrem jura sua transtulit. Hic cum Magdalena Srezia, contractis nuptiis *Cæsarem* suscepit, qui Juliæ Bononiæ vir factus, *Petri*, hujus nominis VI. pater evasit, anno MDCXCIX. Marchionis titulum adepti. Fuit Panormi Justitiarius, a Regio cubiculo, decessitque sæculi hujus anno 2. relicta ex Aloysia Lancea Trabiæ Principis filia *Cæsare* IV. Vivit cum Victoria Vigintimillia improles. *Sortini* latitudo est grad. XXXVII. longitudo XXXVIII. XLIII.

SPACCAFURNUM Opidū. Vide Inspicefundus.

SPANO'. Casale olim, *Spanò* hodie Feudum ad Abbates S. Mariæ de Noaria ex concessione Rogerii Comitis pertinens, cujus meminit Fazellus.

STA IN PACE. Turris in agro Netino sub Ludovico Rege anno MCCCLIII. *Blascum de Alagona*, uti ajunt, authorem habuit, quod gentis ejus insignia satis evincere dicunt. Abulenses aliquando illā occupasse tradit Littara; sed Petri Infantis jussu Netinis restituta mox fuit. Dolo etiam *Bernardus Caprera* sub Martino sibi vindicavit. De ea Fazelus lib. IV. cap. 2. Elorique veteris urbis ruinis, inedificatam testatur.

STERIUM PICTUM. Templum priscis præcellens credit Fazellus Ædem quadrato structam lapide, columnisque subnixam, quæ tumulo insidet ab ora Siciliæ Australi haud procul, post Fluvii ostium a S. Cruce appellati. *Steris* vox Punica est, Domum significans conspicuam; a Sarracenis idcirco nomen loco inditum puto.

STINTINUS. *Statio ad Syracusas*, olim Portus Trogilorum. Vide *Trogilus*.

STYELLA vetus opidulum. Vide *Hybla Tiella*

SYL-

SYLVESTER Casale olim, & Turris, hodie *Bonvicinus*.

SYMÆTHUS. Fluvius totius Insulæ maximus; *Grandis* idcirco, & a proxima celebriori urbe, *Catanę* appellatus, a Scapha, qua quatuor in locis traiicitur, Sarracenico ore *Jarretta* passim dictus. Northmannorum ęvo *Moises, Huetmusa*, aliisque corruptis vocabulis venit. Memoratur Poetis Scylaci in Periplo, Virgilio Æneid. lib. 9. *Symæthia circum flumina*. Ovidio Fast. lib. 4. *Quæque Symæthæas accipit equor aquas*. Silio lib. 14. *Rapidique colunt vada flava Symęthi*. Plinio *Colonia Catana, flumina Symęthum, Terias*. Ptolemęo, qui male inter Catanam, & Tauromenium locat; Pomponio Sabino: *Supra Catanam, & Centuripes Symęthus fluvius*; Vibio in Cathalago flum. Servio, qui a Rege Symętho nomen habuisse affirmat; Athenæo, qui ejus laudat Mugilés. Ex Siculis opinionibus variant circa situm complures, & cum *Eryce* fluvio confundunt, qui S. *Pauli* a ponte, e proxima sacra ędicula etiam dicebatur, cujus supra cursum descripsi. Moventur, quia Virgilius laudato loco addit: *Pinguis ubi, & placabilis ara Palici*: Vibius vicinum Palicis *Symætum* locat; Servius, ipseque Pomponius Sabinus circa ipsum Deos Palicos, & fabulam Palicorum constituunt. At enim Maro, Vibius, aliique celeberrimum flumen *Symæthum* memorantes, Palicios deos, seu Lacum cum crateribus, eorumque fabulam æque celebrem non longe a *Symætho* innuere voluerunt. Illud hinc nota dignum, quod *Symæthia circum flumina lucum Martis* crevisse Virgilius tradit, eodem in agro, ubi Palici ara surgebat. Servius idcirco, Sabinus, & Vibius, aliique Grammatici Virgilio adhęrere putantes,

minus congrue ad *Symęthum* Palicios statuunt; nostrosque Fazellum, Maurolycum, Aretium, Philotheum, & Bonfilium in errorem inducunt. Contra tamen Cluverius, Carrera, & alii, re penitius examinata, Virgilii textum commode exponentes, proximum Catanę fluvium *Symæthum* esse mordicus substinent, cujus sub Terię nomine originē, cursumque Fazellus describit.

Sunt igitur *Symæthi* fontes in valle Demana ad Capitii opidi montem, media ferme Sicilia; unde aquę uberrimæ justum amnem constituentes sub Troyna defluunt, a qua nomen illi primo obvenit; Cisarum inde ad lævam relinquens; Maniacis alluit agros, ubi sub s. Dominicæ agro gurgite augetur; qui ad multā altitudinem, aquas ejectans, Gurges plenus appellatur. Broli mox, & vicinorum collium fontes excipit, falcatoque fluxu circa Ætnæ radices occiduas dilabitur, ac pontem habet impositum e vicino Carcacis opidulo appellatum. Post pontem insigni spectaculo pręcipites ex alto undæ in subjectum profundum alveum se recipiunt, & cursum peragunt. Adrani subinde fluenta insigni copia ad finistram, fluviumque Salsum, seu Rahalbuti prope Nicosiam originem habentem, sibi ad dexteram adjungit, & Scapha, sive *Jarrcla* Adranensi traiicitur. Paternionis aquę hinc in eum dilabuntur, ubi rursus Scapha iter habentibus se offert. Catanensem amplissimam planitiem vario subinde flexuoso cursu totam irrigat, & tertium Scapha transmittitur, quam Monachorum appellant. Nec procul ad trajectum *Cavaleris*, Chrysam, vulgo Dyctainum absorbet, qui sub Artisino ortum recognoscit. Ab hinc Catanensem agrum, & Leontinum disterminat, & rursus non longe ab orientali littore Scaphæ usum habet,

bet, quæ à S. Agatha dicitur. Sed paullo supra ad aliquot passus Erycem, aliter *Gurnam Longam*, ab anno MDXX. 1 suum in lectum elabentē deducit, tandemque tot auctus aquis in mare se exonerat, latum aperiens ostiū, ād quod circa sinistram terræ cuspis crevit, ex aggesta arena, & luto, quæ singulis annis novæ materiei occasione fit major. Fert Symęthus Anguillas laudatissimas, ad quarum capturam fluminis aquas cratibus arundineis coercent, & portas per interiecta spatia aperiunt, ubi insidias parant. Eodem ferme artificio *Alosas*, quas vulgo vocant, sapore, pinguedine, & crassitie eximias Martio, & Aprili mensibus capiunt, quas tunc temporis ingenti copia *Symæthus* deducit. Tinchis præterea, minutisque pisciculis abundat; Mugiles ejus denique Athenæus commendat, quod supra innui: *E Symætho Mugiles*. Eryces, *Gurnalonga* vulgo, pisciculos quidem, sed Mugiles nusquam protulit, hinc quo pacto *Symæthus* dici possit, non video.

SYMÆTHUM Opidum. *Symæthios* mediterraneos opidanos cum aliis Siciliæ Plinius lib. 3. cap. 8. memorat. Ptolemæus *Dymethum* inter Centuripes, & Ætnam locat opidum, sed corruptum esse vocabulum a genuino *Symæthus*; docet Cluverius; quin, & in Eclogas legationum errorem irrepsisse quoque affirmat, ubi ex Diodoro de Opidulo *Amaselo* fit mentio, quod inter Centuripinos, & Agyrinenses situm Hiero expugnavit; *Symæthum* namque, non *Amaselum* legi ibi debere tradit. Illius hinc judicio *Symęthum* opidum in eo stetisse colle, ubi hodie Rahalbutum sedet, censendum. At enim alibi cum Carrera, nullam esse duas inter voces *Symæthum*, & *Amaselum* analogiam dixi, uti una pro alia irrepere potuerit amanuensium vitio;

Et *Amaſelum* idcirco ab Hierone direptum ad Rahalbuti collem locari poſſe, & aliud a *Symætho* dici nil prohibet. Idem porro Carrera non longe a Symæthi fluminis oſtio in tumulo, ubi ager adhuc hodie a *Symetho* appellatur, opidum cognomine ſedem olim habuiſſe opinatur. Sed hic ſitus ab eo, quem Ptolemæus deſignat, procul xx. ſaltem paſſ. M. abeſt; decernere idcirco ſignanter locum non auſim.

SYRACA Palus in plano, & depreſſo littore circa Syracuſas, ubi ſtagnant Lyſimeliæ etiam paludis aquæ, paullo ſupra ex Cluverio, ad ſiniſtras Anapi fluminis ripas, ſed a Bonanno, ad Anapi dexteram a maris littore haud procul, ubi hodie vulgari nomine *Pantanus*, ſita dicitur. Syracuſis inde vocabulum fuiſſe Scimnus Chienſis in Periegeſi tradit. Memoratur Vibio in Catal. Paludum, & *Tyraca* mutata S. in T. dialecto Actica vocatur; Stephano de urbibus *Syraca*.

SYRACUSÆ maxima, & potentiſſima quondam totius Siciliæ, & Græciæ urbs, innumeris celebrata authoribus Geographis, Poetis, Hiſtoricis, & Philoſophis inter veteres; a recentioribus vero ſatis numquam deſcripta, integrum hic librum expoſceret, niſi Aretius, Fazellus, & Cluverius, aliique illorum veſtigia ſectantes, Inſulæ faciem delineando, uberrime de ea, uti par erat, pertractaſſent, Vincentiuſque Mirabella, & Jacobus Bonannus, peculiari concinnato opere, præcipua illius monumenta literis conſignaſſent; Ego demum, cum in meis ad Fazellum Animadverſionibus, tum variis in locis hujus opuſculi, uti ſeſe obtulit occaſio, ejuſdem partes, regioneſque ſingulas deſignare curavi, uti & reliquas recenſeam, quæ ſuperſunt. Sola namque *Syracuſana* mænium ſuorum ambitu,

bitu,

Digitized by Google

bitu, quatuor ingentes claudebat urbes: *Acradinam*, *Tycham*, *Neapolim*, *Ortygiam*, aliis, & quidem majoribus, per Siciliam omnino æquandas; *Epipolasque* munitum locum complectebatur; sola publicis ædificiis, arcibus, templis, gymnasiis, theatris, latomiis, prę cęteris superbiens, cunctis magnificentior eminebat. Ipsa amplissimo etiam extra insulam dominatu; incolarum multitudine, qui ad decies centena millia, & ultra excrevere; Civium gloria, armis, literis, rebusque domi, & foris præclare gestis illustrium, nulli per orbem universum secunda effulsit. Ipsa totius pene Gręciæ conatibus restitit; Carthaginienses non semel protrivit, translatoque in Africam bello, terruit, domuit; Romanis denique exercitibus sola, & inclinante jam fortuna, diu reluctans, nonnisi cruentam concessit victoriam. Digna, quam e sublimi potentię culmine in profundum malorum ruentem victor ipse Consul Marcellus lacrymis prosequeretur: *Męnia enim ingressus, a superioribus locis urbem omnino ferme illa tempestate pulcherrimam videns, illacrymasse dicitur, partim gaudio tantæ perpatrate rei, partim vetusta gloria urbis*, uti lib. 25. Livius scribit. De tam pręclara igitur urbe solum per summa capita, raptimque nonnulla proferam.

Nomen a *Syraca* contermine palude *Syracusis* appictum jam paullo supra ostendi. Fazellus a Græco vocabulo ΣΥΡΩ deducens, quod Latinis *Traho* sonat, quia scillcet *illius conditores*, inquit Goltzius, *sponte sua ad illam eo loco statuendam tracti fuerint*, Mirabellam habuit sectatorem, qui tamen ad Archiam Corinthium perperam retulit; antequam enim hic coloniam eo deduxit, *Syracusarum* nomen extabat, uti

Bo-

Bonannus advertit. Eumdem porro Archiam Thucydides, Plutarchus, & alii ex Græcis Vrbis conditorem protulere, quod adscitis e patria aliquot sociis ad Insulam tunc Ortygiam vocatam appulsus, Siculis, qui eam tenebant, ejectis, novam constituerit rempublicam. At enim ante Corinthios, primi Siciliç incolç Sicani illam inhabitaverant; prope *Syracusas* raptam Proserpinam Pluto deportaverat; Herculis sacros ritus in ejusdem Proserpinæ honorem, Diodoro lib. 4. & 5. ad Cyanes fontem instituerat; Siculi ipsi Sicanorum successores ab Archia pulsi sedes jam in illa statuerant. Crevit haud inficior, post eam Grçcorum coloniam mirum in modum, ob soli ubertatem, civesque ejus ob portuum opportunitatem principes effecti, uti Plutarchus loquitur, Acras, Camarinam, Casmenam paucis post annis ad Pachynum proximum condidere; Ennamque in ipso Siciliç centro, suorum manu deducta, incolis frequentarunt; longe majora nihilominus incrementa, postquam Gelo primus Urbis Tyrannus reipublicç regimen assumpsit, suscepisse constat. Hic enim quampluribus circa opidis bello domitis, ea ferme aut solo ęquavit, aut incolas ex iis abductos *Syracusas* transtulit, ac civitate donavit. Hierone Gelonis fratre rerum potiente, nihil præter libertatem *Syracusanis* optandum fuit; nam urbes prçsertim Chalcidenses suo illi adjecere imperio; ac post obscurum, brevemque Trasibuli dominatum Reiplubicæ statu restituto, Siculis primum populis, qui suis vivebant legibus, sibi adjunctis, Atheniensi memorabile bellum ingenti hostium excidio confecere. Septuagesimo elapso anno, rursus in Dionysii utriusque tyrannidem incidentes priscam nihilominus gloriam retinere sunt visi; Carthaginien-

sium

sium quippe depressa potentia, nedū finibus eos propriis prohibuerunt, sed fęderatos sibi populos, ne illorum subirent jugum, armis, consilio, suppetiis strenue juvere.

Tyrannis exactis, aliquando ex opum abundantia, nedum ornatus, sed & imperii amplitudo *Syracusis* accrevit; ast dum externam vim cives metuunt, in domesticam dilapsi sunt perniciem; Agathoclis nempe figulo patre exorti, sese dominio mancipare coguntur. Qualis, quantusque fuerit Princeps Agathocles, sęvis licet moribus suos vexaverit, varia per eum cum in Sicilia, tum in Africa egregie gesta uberrime produnt; uti in historiis Fazellus, aliique. Eo extincto novis Sicilia motibus exagitata, ac *Syracusæ* præsertim dura Pęnorum obsidione terra, marique oppressę, Pyrrhi Regis Epiri, qui Agathoclis filiam uxorem acceperat, & in Italia bellum contra Romanos gesserat, auxilia postularunt. Adfuit ille, hostes fugavit, & *Syracusis* Sicilię Rex salutatur; sed brevi discedens, tam propere insulę imperium amisit, quam facile quæsierat. Pyrrhum Hiero Junior excepit, a *Syracusanis* primum urbis Prefectus, mox omnium pene insulanorum consensu contra Pęnos dux, tandemque Sicilię Rex creatus. Sub eo Romanis dominii fines extra Italiam dilatandi, se obtulit occasio, ac Belli Punici Primi initia conflata sunt. Æquo quidem Marte aliquandiu Hiero cum illis depugnavit; tandemque ditionis Romanę in Sicilia fines a Regno *Syracusano* pax inita designavit. Sed hanc Hieronymus Hieronis ex filio nepos juvenili imprudentia abrupit, patriamque in extremum adduxit discrimen. Captiva mox *Syracusarum* urbs, quæ nulli antea expugnata, Marco Marcello cessit, suisque Romanos ditavit spoliis; neque enim ex alia aliqua

efficit, ad latitudinis gradum xxxvii, paucis demptis minutis, & longitud. xxxix circiter sita, gaudet aere temperato, ventis afflato suavissimis, ęstivo tamen tempore horis meridianis nonnihil fervido. Mœnibus undique cingitur, rupe perpetua impositis, quæ maris undis tunditur, brevi occidua littoris parte excepta, quę arenosa, civibus ad portum descensum prębet parumper declivem. Cuspidi in meridiem protensę quadrata arx, a Maniace celebri Græco duce conditore nomen habens, imponitur, quę portus fauces custodit, validissimis munimentis juxta recentioris artis præcepta undique vallata, fossa, & ponte, viaque cooperta, ubi urbem respicit, instructa; contra quam amplę, & novę militum stationes assurgunt. Per spatia ab oriente, & occasu, mœnium latera, sive cortinas sex propugnacula firmant, quorum sunt nomina hodierna a S. Dominico arci ad austrum proximi; Villenæ ad angulum, S. Jacobi, & S. Joannis in ortum, Squillæ, & Arethusæ circa majorem portum ad occidentem. Dudum aliter dicebantur, uti in notis ad Fazellum adverti. Validissima simulque spectatu digna ad isthmum munitio, & paucis secunda. Area quippe satis ampla post urbis ædificia prima occurrit, in qua veteres militum stationes: tum ad aquilonem ager a veteri diruta arce, Fazello, & aliis memorata, Casænovæ appellatus. In centro porta principalis elegantissima subrigitur, duo inter propugnacula, S. Luciæ, & S. Philippi; quorum alterum cum Squilla adjacenti promurali statione, uti & secundum ad portum minorem casside etiam nuper adjecta instruuntur. Sequitur lata fossa, cum parmula, & pontibus maris undis utrimque pervia; hinc tecta via in mi-

litarem plateam aditum aperit, quę laxior, & plurium manipulorum ad arma exercenda capax. Hæc ab austro promuralia opera habet; ab aquilone aggere Montis aurei nomine, ac bina parmula firmatur, & postremę pons ad eruptiones adhæret. Circa occidentem porta, quam duo ambiunt propugnacula, fratres duo vulgo dicta. Portam excipit pons ad fossam traiiciendam aquis occupatam; Hinc opus coronatum, rursus tertia fossa cum ponte; vallatque omnia via tecta ab uno ad alterum portum protensa.

Jam interior urbis facies inæqualibus viis tota describitur; ampla tamen area ante principem basilicam sternitur. Hęc olim Minervæ cultui addicta, columnis ex albo lapide striatis fulciebatur, & Archimedis Æquinoctio celebris erat; a Christianis subinde Nativitati Virginis Deiparę nuncupata, ad sacros usus conversa, vario ornatu hodie splendet, Divinæ pręsertim Eucharistiæ, & S. Luciæ Patronæ sacellis, elegantissima fronte, cum porticu, ac statuis nuper instituta, necnon divite supellectile, ac celeberrimis Ss. reliquis, vasisque præcipuis, quæ inter insignis artificii e succino calicem ostendunt. Episcopalis dignitas Apostolicis temporibus eidem Ecclesię obvenit, Paulo enim doctore fidem *Syracusanos* suscepisse constat. Martianum idcirco primum Pontificem a B. Apostolo Petro *Syracusas* delegatum cum Pancratio, qui Tauromeniū, contendit, cōmuniter tradunt. A Martiano sanctissimo viro ad Sofronium, qui a Sarracenis deturbatus dicitur, Episcoporum Catalogum Christophorus Escobar *Syracus.* Canonicus texit, quem Siculi Agiographi sequuntur, & novissime Cæsar Cajetanus erudito satis opusculo rem omnem complexus est. Post Sarracenos ab

ab Rogerio Comite Troinensis Ecclesiæ Decanus, Rogerius, *Syracusanus* Episcopus constitutus, successores ad hæc nostra tempora sex & quinquaginta habuit; sedet hinc hodie *Syracusis* Joseph Antonius Requesentius, Ordinis *S.* Benedicti dudum Abbas sanguine, moribus, doctrina clarissimus, *V.* inter Ecclesiasticos Proceres locum habens. Adstant ejus lateri, & Cathedralis Ecclesiæ famulatui intendunt Dignitates, uti vocant, quatuor, ipso fundationis initio post Sarracenos exactos institutę, circa XIV. sęculi finem præbendis auctæ, ac sub exitum XVI. ad pristinum decorem revocatæ. Illarum prima *Archidiaconatus*, cui *Decanatus* succedit, hinc *Cantoria*, & quarto tandem *Thesauraria*, uti vulgato nomine exprimunt. Canonici incerto numero, Electivi dicuntur, quia ab Episcopo collegio propositi, ab *Capitularibus* delecti veniunt. Pirrus alium alio tempore fuisse illorum numerum affirmat, & ad XX tandem ab Episcopo Giliberto sęculo XVI. redactos perhibet; Id tamen hodie servatum non videmus. Intersunt denique choro Capellani, ab anno MDLXXIII. dote assignata, quos Secundarios appellant Canonicos. Clericorum Seminario, ad Ecclesiæ aquilonem, Bononius Pontifex fundamenta posuit; Horoscus MDLXX. dote illud instruxit; alter Joan. de Horosco, & denique Joan. Torres etiam Episcopi auxere. Templi situs post urbis medium, ęque civibus est commodus, eique amplissima Episcopalis domus adhęret ab austro, oramque prospicit occidentalem, & areæ respondet ante ejusdem Basilicæ aditum stratæ. Aulæ in eo laxiores, & magnificę, conclaves splendidæ, atria, viridaria ad elegantiam nitent.

Parochias antiquitate illam S. Thomæ Apostoli

excellere Pirrus affirmat, ac primam post Cathedralem enumerat; sed S. Joannis Baptistę, quam oscitanter idem author prætérit, & vulgo *S. Joannelli* dicitur, locum præ aliis habere perhibent. Hæc circa orientem, illa in frequenti urbe, uti & altera *S.* Petri, & S. Jacobi; S. Martini ad meridiem; & S. Pauli in Salibra regione post portas. S. Nicolai hodie nulla est, hanc enim Joan. Ant. Capoblancus S. Paulo univit. Hisce Parochi præficiuntur sex, ab Rom. Pontifice instituti. Inter antiqua Monasteria illud S. Luciæ Virg. illustre fuit, unde olim complures cum in Sicilia, tum in Italia Episcopi, ab ævo S. Gregorii, educti sunt. Stabat eo loco, ubi eadem Virgo martyrium fecit, hodieque a Minoribus de Observantia Reformatis incolitur. Instauratum, dicit Pirrus, MCXV. Gerardi de Leontino opibus; mox Cephalędensi Episcopo concessum; variis hinc Rectoribus paruit, quos idem Historicus recenset. Concessit Minoribus Joannes Torres dum nostræ Ecclesię præesset anno MDCXVII. Tholus ibi magnificus S. Virginis Civis, & Patronæ sepulchrum tegit, ex quo ad Monasterii templum per viam cęmeterialem ascenditur, uti excisi in lapide loculi declarant. Ibi ejusdem Divæ a marmore statua pulcherrima, & celebris. Eò denique quotannis totius urbis effusa frequentia argenteum cum lipsanis sacris simulacrum infertur, dieque octava ad Cathedralem summa religione reportatur. Nomen Cœnobio S. Luciæ extra muros. Suerns de Vega, Joannis Proregis filius, Societatis Jesu Collegium anno MDLV. condidit, & dotavit, agente adhuc in vivis *S.* Ignatio, quod ædificiis nobile cum amplissima insigni Ecclesia, supra occiduam portus oram assurgit. Nec longe, sed pœne in urbe media, Clerici Regulares Theatini sub *S.*
An-

Andreæ Apoſtoli titulo domum habent, quæ Hieronymo Stitica præclaro eccleſiaſte authore anno MDCXI initia habuit, nec levia incrementa, bonis civibus adjuvantibus, ſubinde ſuſcepit, hodieque inter primas effulget. Oratorium S. Philippi Nerii circa elapſi ſæculi LXX. annum in regione *Magiſtræ-Rua* Margarita de Grandis fundavit, quod novis ædificiis hodie concinnatur, ut nobiles ephebos excipiat. S. Dominici familia ſæculi XIII. anno XVIII. primam, aut ſecundam in Sicilia ſedem fixit, B. Regynaldi opera, qui ex Jeroſolymitana peregrinatione redux, aut Auguſtam, aut *Syracuſas* appulit, ibique inſtituti ſui domicilia fundavit; Et *Syracuſanum* extra urbem ad jactum balliſtæ poſuit; verum non diu poſt MCCXXII. Conſtantia Regina, & Imperatrix intra mœnia circa meridiem, magnifice exędificandum ſuis ſumptibus præcepit; *Conventus Regii* titulum illi idcirco datum affirmant. Pars inſignis ſalutiferæ Crucis in ejus ſacrario, ac de oſſibus S. Luciæ, alięque Ss. reliquiæ coluntur; Crucifixi item antiquiſſima imago, ac Deiparę tabula, e Rhodo tranſlata in veneratione ſunt. Minores Conventuales, Romæ Religionis fundatore S. Franciſco degente, anno MCCXXV. at ex Cagliola XX. *Syracuſis* coaluere, prope vetus S. Andreę templum, in Salibra regione; hinc in Judaicam, eodem retento titulo, commigrarunt, magniſque incrementis brevi profecerunt. Elegans illorum eſt Eccleſia, variis nobilium familiarum ſepulchris decorata, Ædes non anguſtæ, quas olim S. Joannis Jeroſolymitani Conventuales Rhodo expulſi MDXXX. ad annum & ultra incoluerunt. Fratres de Monte Carmelo, quo tempore Syracuſas venerint, incertum habet Pirrus, qui legiſſe tradit: iis datum
fuiſſe

fuisse hospitii jure S. Mariç de Odigitria templum MCCCCXXVI. Extra mœnia ad sçculi XVI. medium perstitere, quumque ad urbis munimen, jussu Hernandi de Vega nova mœnia extruerentur, ut iis locum daret, illorum postratum fuisset cœnobium, novum intra pomœrium sub eodem titulo in orientali plaga extitit, quod hodie splendidum sub novo S. Mariæ de Scala districtiore instituto viget. *S.* Teresiæ Conventum anno MDCXXXIV. erectum laudatus Pirrus tradit, juxta veterem S. Salvatoris extra mçnia Ecclesiam; nunc intra, ab arce Maniacis haud procul, in ortum, decenter constructus videtur ab ejusdem sçculi anno L. Reformationis primæ, vulgo Montis Sancti Carmelitæ in S. Joannis vetustissimum apud Acradinam templum, olim in urbe majus, MDCXXXVI. recepti sunt; hodie S. Nicolai titulo ædem, quæ olim Parochia in *Magistra Rua*, uti appellant, ab anno MDCCIII. possident. Ad maritima in austrum mçnia Augustiniensium cœnobium prospectu amœnissimo gaudet: dudum Senatus *Syracusanus* S. Laurentii extra illis attribuerat ab anno MDIV. quumque locus aeris insalubritate laboraret, intra septa ad S. Sepulchri Ecclesiam ejusdem sçculi XCII. commigrarunt. Paulenses Minimi, & ipsi extra muros in S. Antonii Abbatis, primum consederant MDLXXIX. ad lapidis jactum ab ora maritima; hodie contra S. Joannis parochialem Ecclesiam commode degunt. Bonis Fratribus B. Joannis de Deo denique ædes Hospitales *Syracusanus* Senatus anno MDXCI. concessit, e conspectu Episcopalis palatii in area majori, ad ortum, ubi juxta ordinis sui leges ægrotis congrua impendunt officia.

Extra mçnia Minorum Capuccinorum Conventus

tus loco parum salubri MDXLIX. Divę Mariæ de Misericordia templo adhęsit; hinc LXXXII. ejusdem sęculi anno ad celebres Acradinę lapicidinas, seu latomias translatus, situ amęnissimo portui minori imminet, decentique structura assurgit. Celebrior ejusdem hortus ad imas usque Latomiarum caveas dignus est, qui conspiciatur; consitę arbores diversi generis in profundissimo solo oblectamenti quam maximi sunt, umbræ gratissimæ accidunt; horrorque ipse animum exhilarat, Succedit ad dexteram S. Mariæ de Jesu Minoritarum quoque cœnobium de Observantia, uti appellant, decentissimum, in ejus horto Cęmeteriales viæ quaque versum procurrentes, variisque ambagibus implicatæ aperiuntur. Aditus in eas per latum est puteum, in quem primum descenditur; totæ in vivo lapide excavatæ cum loculis ad cadavera humanda longitudinis diversę, & spiramentis, ad aerem, lucemque excipiendam, acuminatim desinentibus, terebra veluti efformatis. Illas parum ab hinc notas a S. Didaco appellant. Vacuas pene inventas, paucis exceptis loculis, qui occlusi adhuc erant, olim patuisse patribus nostris non ambigo; descriptas denique brevi Cæsaris Cajetani opera habebis, quo duce in eis dudum penetravi, angustam alicubi præcipuam viam expertus. De S. Lucia jam supra expendi aliqua; sub Reformatis est hodie, qui intra mœnia hospitium habent, uti & Capuccini, & Observantes. De Commenda Equitum S. Joannis Jerosol. antiquissima meminit diploma a Pirro allatum in *Syracusanæ* Ecclesiæ notitia. Hodie S. Blasii nomine extat Ecclesia eidem Ordini subjecta. Domus Hospitalis, altera ab illa S. Joannis, Senatu curante, excipiendis mulieribus viget. Tertia infantibus ex-

expositis addicta, post Majorem Ecclesiam spectatur. Mons denique pietatis in sacra æde S. Rocchi nomine, ab anno MDXLIV. sub Hieronymo Bononio Episcopo ad pauperum levamen coaluit, & hodie sub nobilium sodalium cura perstat, Romano Monti aggregatus. De Monasterio S. Petri de Bajas vetustissimo, hodie de Trimilio, uti Pirrus conjectat, eumdem consule; Ad Sanctimonialium Ego Monasteria descendo.

Primum sub S. Benedicti regula S. Mariæ, olim de *Monacàbus*, eo loco situm evulgant, ubi S. Mariæ de Jesu surgit. Pirrus extra mœnia, loco minime indicato, stetisse affirmat; memoratumque anno MCXCV, & CCXXXIII. testatur. In urbem transtulit Episcopus Montecatenus sequentis sęculi XX. quod vetus piratarum esset incursionibus obnoxiū. In cētro itaque nunc splendet ędificiis, nobiliumque alumnarum virtute eximium. Census Gregorius Episcopus, & Constantia Regina Petri I. uxor concessere, quos, adjuncto S. Margarithę veteri claustro; Thomas item Episcopus auxit. Servat S. Luciæ Lipsana. Opibus Parisii de Cassaro S. Benedicti ab anno MCCCLXV. conditum prope Episcopales ædes ad austrum consurgit, quod non minori pręstantia, & decore eminet. Illius auspicatrix, & Antistes Cęsarea de Cassaro Parisii soror celebratur, e S. Mariæ claustris educta. Regium appellat Pirrus S. Claræ Monasterium, & merito; Elisabethæ enim Petri II. uxoris divitiis anno MCCCXXXVIII. coaluit, ejusdem Regis, & Ludovici munificentia auctum extitit, ac Friderici demum III. literis meruit confirmari. Pręfuit prima sororibus Clara Tolosa. Sęculi nihilominus elapsi anno XLV. illud S. Benedicti claustris Franciscus de Elia unitum voluit. Australe fori majoris latus S. Luciæ occupat Cœnobium

um Benedictini Cisterciensis instituti, quod anno MDL. Isabella Hispaniarum Regina fundavit, uti ejus diplomate constat. Ibi ejusdem S. Luciæ digitus colitur. Deiparæ Annunciatæ, circa seculi xv. initia Thoma Episcopo indulgēte Alamāna Ponsecta nobilis fœmina Cœnobium condidit, ac dote auxit, propriis ędibus attributis, cui Agnes Hodierna S. Mariæ monialis prima pręficitur. Sedet circa meridiem a S. Benedicto haud procul. Huic quoque illud S. Catharinæ Senensis, quod anno MDCXXVI. fuerat fundatum ex Pirro, Franciscus Elius Episcopus adnexit. Ad ejusdem S. Benedicti perscripta Moniales in S. Eustachio incolebant; sed paupertate pressas ad alia monasteria translatas anno MDLV. perhibent. Ex quibus VIII. Montis Virginum Monasterium circa idem tempus frequentandum suscepere sub Veronica Barbera magistra, quod Albarus Vega Proregis filius, & *Syracusarum* Præfectus a fundamentis moliri jussit, pingui dote assignata. Hęret S. Lucię, & viculo angusto discernitur, fulgetque magnifica structura, alumnisque egregie commendatis. Pro Franciscanis Monialibus templum S. Margaritæ anno MDLXII. obtinuit Benigna Bonanno illustris Matrona, Tertii ordinis Capuccinorum, suisque sumptibus sub S. Mariæ de Araceli nomine, exędificandum in S. Fantini, uti appellant, area ad austrum jussit Monasterium. S. Teresiæ institutis addictæ sacræ Virgines Claustrum habent media urbe. Author Franciscus Capoblancus Episcopus anno MDCLI. Vivunt illæ arctissime, studiisque monasticæ professionis inhærent. Paucis ab hinc Carmelæ Montalto, ac Rosæ Ilthuris Virginum ęque nobilium, ac pietate insignium opera, sub Deiparæ de Monte Carmelo auspiciis, domus primum erecta, ubi

Digitized by Google

a Sæculi curis remotæ Matronæ vivebant; mox illa in Monasterium anno hujus Sæculi XL.. crevit, ad Carmelitici ordinis præscriptum, quod singulare est hodie monasticæ perfectionis speculum. Ad puellas parentibus orbatas servandas Parthenonem statuit juxta Montis Virginis ædes Asdrubal Termine Episcopus, sub Christi Dom: Plagarum, & Deiparæ dolorum titulo. Pro lapsis denique mulieribus vetus est Gynæceum in ortum prope arcem, a S. Cruce appellatum, quod anno MDLXVIII. Benigna Romana religiosissima matrona promovente, originem cognovit. Jam aliæ sacræ ædes civium sodalitatibus insignes, præcipuæ spectantur: S. Rocchi de Charitate nobiles viros pietatis officiis incumbentes excipiens; S. Philippi Apost. & Spiritus Sancti titulo, sacro oleo ambæ initiatæ, quarum sodales diebus sollemnioribus recurrentibus, in promovendo divino cultu religiosa æmulatione contendunt; S. Sebastiani Mart. & S. Joseph ad S. Fantini aream, in illa Sacerdotes, in altera Artifices conveniunt; ut de reliquis taceam, ne longior evadam.

Senatus Basilica inter civilia ædificia ad omnem elegantiam superbit, ortivumque fori latus post majorem Ecclesiam ad Aquilonem occupat. Reliquæ nobilium privatæ ædes splendidæ ubique occurrunt. Civilis Curia locus est publicis negotiis addictus; in Salibra regione Dephnæum vetus erat Blaneum, in quo Constantius Augustus occisus perhibetur. Sub S. Philippi Ecclesia criptæ in vivo lapide excisæ cum blaneo, & gradibus, olim dubio procul Latomia. Fons denique Arethusæ sub mænibus ad portus oram circa extremam urbem, & in mari opposito Oculus Ciliciæ, de quibus dixi, uti de Marietto, & Casanova arcibus. Puteum

non omittam vulgo de *Sbruſſa* appellatum ad orientales plagas, quem veteres lapidibus pene oppleverunt; noſtriſque diebus, quum illum purgare inſtituiſſent, operę ad id deſtinati, ſulphuriis alitibus afflati, illico periere.

Sed hic, uti ſpecimen aliquod habeas exiguum rerum ad noſtra uſque tempora *Syracuſis* geſtarum, intermiſſam hiſtorię ſeriem proſequar. Michaele apud Byzantium imperante, cui cum Italia inferiore Sicilia parebat, Euphemius quidam partis non exiguę in Inſula Dux; Toti enim provinciæ Photinus ex Curopalate præerat, ob illatum ſacræ Virgini ſtuprum ad necem damnatus, adſcitis defectionis ſociis poſt pręfectum ſugatum ad Africæ Regem ſe contulit, in cujus poteſtatem ſe redacturum Siciliam ſpondet, ſi Romanorum Imperator declararetur. Conditione accepta Amiras multas ei copias tribuit, quibus ille inſula potiretur; Hinc *Syracuſas* veniens ſalutari Imperator poſtulavit, ad callida tamen conſilia cives converſi illum doloſe excipientes capite truncarunt. *Syracuſis* proinde exceptis, Sarraceni per inſulam debaccantes ſuo jugo hanc ſubdidere. Sed & illam tandem ſub Baſilio Cęſare expugnarunt, deletamque igni tradiderunt. *Sic quæ ad hanc uſque diem*, inquit Curopalates, *celebris & glorioſa fuerat, quæque multa Barbarorum bella propulſaverat, temporis momento gloriam omnem amiſit*. Prædam porro ex direpta urbe adſportatam ad decies centena millia nummum perveniſſe tradunt. Quod altera poſt Conſtantii mortē *Syracuſarum* clades per Ægyptios Sarracenos evenerit, cujus Fazellus meminit, ante hanc a Curopalate deſcriptam, non inficior. Atenimvero excurſionem ſubita vi factam, bonorumque

Digitized by Google

et gazæ direptionem fuisse potius dixerim; motibus quippe urbs agitata ob Mezentii factiones, qui Constantium interfecerat, nullo præsidio munita urbs, Barbarorum assultui facile patuit.

Habes de *Syracusarum* excidio sub Basilio peculiarem a Theodosio Monachò in sua Epistola descriptam historiam, quam Pirrus exhibuit. Perstitit cum reliquis insulæ civitatibus, & nostra quampluribus annis Sarracenica sub tyrannide; Georgii Maniacis virtute hinc liberata, novis ab eo munimentis firmatur. Refert idcirco ad portus majoris fauces Arx, *Maniacis* nomen, & vulgo *Trimaniacis* dicitur. Tunc S. Luciæ Corpus Constantinopolim deportatum. Brevi post partas quamplures in Sicilia victorias Maniaces revocatus, Stephanum successorem accepit; cujus socordia avaritia, & timiditate Sicilia Barbaris prodita, una tunc excepta Messana, & *Syracusæ* rursus jugum subire coguntur, ad Northmannorum tempora. His enim fortiter pugnantibus Sarracenorum in Sicilia imperium paulatim concidit, & Jordano primum Rogerii Comitis filio *Syracusarum* custodia demandata, eoque mortuo, Tancredo ejusdem Comitis ex Guillelmo fratre nepoti urbs obvenit, qui & illius Comes est appellatus. Pirrus in Notitiis datam esse *Syracusanam* civitatem a morte Jordani, cum titulo Comitatus, Guillelmo S. Euphemiæ Domino, cujus soror erat Eremberga Rogerii conjux, ipseque vicissim Rogerii erat sorori copulatus, ex quibus Tancredum ortum vulgavit, & matris jure Comitis nepotem dicit; sed in Chronologia illum Guillelmo Comitis fratre natum, uti innui adstruit, quod verosimilius puto. Ex Tancredo, & Mortilla ejus vxore Robertus immature ante patrem præ-

reptus

reptus, Riccardus, & Willelmus prodiere, quorum neuter quod sciam, Syracusarum Rector est dictus.

XII decurrente *Sæculo, Syracusarum* urbs ingenti terræmotu concussa est, civesque complures majoris templi parte corruente oppressi sunt. Anno ejusdem LXIX. Riccardus Palmerius Anglus dudum Electus, sub utroque Willelmo Regni negotiis adhibitus ab Alexandro III. Rom. Pont. sollemni ritu Episcopus *Syracusanus* consecratus, Pallii ornamento accepto, Sedi Apostolicæ immediate subiicitur. Quamvis non diu post Riccardum, Successores Monregalēsi Archiepiscopo suffraganei sint facti. Per id tempus terræmotu maximo tota tremuit insula, & *Syracusis* solum nonnullis hyatibus patuit; Celeberrimique Arethusæi fontis aquæ maris salsedine infectæ. Ita Pirrus; sedenim concussionem hanc non aliam ab ea fuisse, cujus ex variis scriptoribus memini, probe censeo. Henrici Cæsaris pressuris haud immunes *Syracusas* fuisse subinde constat. Quo extinto, in minori adhuc ætate Friderico constituto, Pisani primum classe portum invecti, facili negotio urbem occuparunt. Hinc Januenses illorum æmuli, hostium in portu naves corrumpunt, captaque urbe Pisanos ad unum in ea conficiunt; præsidiaris suis sub Alemanno Costa, qui se *Syracusanum Comitem Dei, & Reipub. Januensis gratia,* dictitabat, illam muniunt. Costa subinde a Venetis occiso, Syracusę legitimo domino deduntur. Sub Gallis vexatam cum aliis legimus, Vesperisque Siculis ejus immixtos cives, contra Robertum Caroli Andegavensis filium diu restitisse, maritimo, & terrestri bello appetitos, longa obsidione, & fame vexatos; Joannis demum Claromontani opera hostes fugasse. Anno MCCCXLVIII. gravissima

ſima cœpit urbs afflari peſtilentia. Tunc quoque temporis variis, & ipſa turbis exagitatur, quas Siculi proceres excitarunt. His tandem conſopitis, *Syracuſani* in grati animi ſpecimen Friderico III. Regi ſtatuam affabre efformatam in foro erexerunt, quæ ad annum MDXXX. ſtetit. *Fortaſſe*, ſcribit Pirrus, *quia Fridericus pro uxoris ſuæ Conſtantiæ Camera Syracuſas*, Leontinos, Menas, Bidenum, Paternionem, Caſtrum Leonis, Francavillam, S. Stephanum de Brizi, & Pantelariæ inſulam cum jure gladii deſignando, Cameræ caput, urbem noſtram conſtituerat.

Martini ævo generale Regni Concilium *Syracuſis* celebratum, cujus etiam Principis munificentia *Bajuli* munere antiquato, primus in Magiſtratu *Senator* eſt dictus, qui prætoris Panormitani, & Catanenſis Patricii privilegiis frueretur; aliaque inſuper decora, & privilegia urbi acceſſerunt. Tunc Reginalis *Cameræ* Gubernator Alphonſus Enriquez Caſtellæ Talaſſiarcha conſtituitur, cui in eodem munere præclariſſimi alii viri ſucceſſere ad Caroli Cæſaris ævum. Anno MCCCCXLIII. annonæ caritas cives vexavit; nec diu peſte graſſante ex illis non pauci exauſti. Sæculo hinc exeunte Aloyſius Margariti *Cameræ* Præfectus urbem muniendam ſuſcepit, eaque ex cauſſa ſacras aliquot ædes dirui juſſit. Obſtitit Epiſcopus Dalmatius, ſed execrabili ſcelere impias in eum Margaritus manus injecit, carceri cum clericis addixit; unde a tumultuante populo ille eductus Netum contendit, diriſque idcirco Eccleſiaſticis ſubjecta urbs remanſit; ſed appellente cum claſſe paucos poſt menſes Conſalvo de Corduba, qui Magnus Dux dicebatur, gradu dejectus Margaritus, in Hiſpanias pro merito puniendus adducitur.

Ab

Ab omni mox *Censura* liberi quidem cives effecti sunt, sed dira afflati pestilentia intra biennium ad x. M. periere, poenasque admissi a Margarito sceleris innocentes persolverunt. *S*yracusas e Rhodo insula ejectus *S*. Joannis Jerosolymit. Ordinis Magister cum suis MDXXIX. appulit, Regioque susceptus apparatu ad annum ibi moratus, in Melitam subinde insulam ordini concessam transmigravit. Nec diu MDXXXVIII. ob Germanæ Ferdinandi *R*egis viduæ mortem Reginalis *Cameræ* præfectura siluit. Tunc *S*iciliæ Prorex Gonsaga Syracusas venit, ibique diu subſtitit; Cives autem aureos 5500. Regi dono obtulerunt, urbisque firmata privilegia impetrarunt.

Quum porro ejusdem sęculi anno XLII. Insula variis soli concussionibus quassaretur, & *Syracusana* præ cæteris regio horribiliter tremeret, multis affecti cladibus cives omnis ordinis, voti caussa Catanam ad *S*. Agathę corpus, Netumque ad *S*. Corradi supplices se contulerunt; magnisque poenitentiæ signis editis, Numinis compescere iram, & patriæ exitium, quæ maris inundatione mox involvenda videbatur, avertere satagerunt. Nova deinceps calamitas agris incubuit, quos *S*ortinensis amnis immensis imbribus auctus anno MDLVIII. omnes obruit, ac vastavit. Pestis quoque malum post annos ferme xx. accessit, quam Alexandrina navis *Syracusas* primum, uti nonnulli perhibent, invexit, & si alii Messanam cum mercibus, aut Saccam evulgant illatam; unde tota insula infecta, ad XC. quippe M. ex insulanis confecti sunt. Sęculo XVII. fames aliquando cives afflixit; validissimis munimentis in isthmo urbs firmata, difficilisque expugnatu novis operibus reddita, veluti Siciliæ arx evasit; circa ejusdem denique

exi-

Digitized by Google

biunt, & in aquilonaribus porta etiam aperitur Calatajeronis, in occiduis porta Salvatoris, quæ rectà *Penesing* respondet. Hinc ad angulum prominet propugnaculum a proxima equitum levis armaturæ statione appellatum, cui parva succedit porta maritima. Ad austrum mox post mediam cortinam tertium se offert propugnaculum, a proxima magna porta maritima dictum; duo succedunt turres, quas excipit munimentum alterum arcis, & Dynastę palatium. Quatuor idcirco meridionale latus ad oram tuendam exhibet propugnacula, civesque ad proximum mare per quartam, quintamque portam erumpunt.

Jam vero ad civitatis internam, quod attinet, faciem, viæ in ea omnes rectæ, & latę ab unoquoque latere describuntur, quarum præcipua, portis, quę ad ortum, occasumque patent, respondet. In hanc porro viam altera incurrit septentrionalem portam e regione habens, & ubi illę conjunguntur, forum aperitur, in quo Princeps Templum, & civilis consilii Basilica; Hęc ampla, & elegans, illud Deiparæ in Cœlum Assumptæ sacrum, cum æris campanis conspicua turri unicum parochiale effulget, cujus Rector ab Dynastis nominatus, Archipresbyteri, & Archidiaconi simul titulum refert, aliisque prerogativis suos inter clericos insignitur. Antiquissimi ex Regularium cœtibus Minores fratres ab anno MCCLXII. locum ubi vetus erat opidum, occuparunt; hinc intra mœnia sese recipientes ad meridiem nobile cœnobium statuerunt, iisdem adhęrens, cum insigni Ecclesia S. Francisco dicata, ante quam area sternitur. Carmelitis circa occiduum angulum, a minori maritima porta haud procul, decentissima est habitatio; Turris

vetus, sed præcelsa; Templum Ordinis tutelaris referens titulum novissime instauratum, Christi Domini e Cruce pendentis simulacro, multis prodigiis, & sanguinis, uti affirmant, profusione clarissimo decoratur; cui proinde universa civitas ex voto addicta. Cœnobii fundatio sæculum XVI. non excedit. S. Augustini Monachi ortivum aquilonarem occupant angulum ab anno MCCCCLVI; Quorum Conventus ædificiis latis exculcus; Ecclesia ex Lubino S. Josepho sacra, sed ejusdem S. Fundatoris nomine vulgo hodie venit. Ad oppositum vero occiduum angulum Minoritani Obsevantes S. Mariæ de Jesu nomine anno MDCXIV. Francisci a Calatajerone opera constituti a Pirro dicuntur; Paulenses in templo S. Mariæ de Gratia D. pass. ab opido in orientem anno MDXXII. sedem fixere, quod ingens veteris formæ ex quadratis, iisque admirandis lapidibus constructum dicit Pirrus. Subinde intra pomerium novo excitato Monasterio, & Ecclesia se receperunt. S. Joannis de Deo hospitalem domum idem Pirrus memorat ab anno MDCXXII. fundatam, sed fratribus recedentibus ædis ad ægros curandos viget circa ortum prope muros. Pro Sanctimonialibus a majori Ecclesia haud procul circa septentriones Cœnobiū assurgit S. Benedicti nomine, & institutis insigne, cum turri, & templo elegantissimo, cujus origo elapsum non transcendit sæculum. Puellis demum pauperibus custodiendis, & congrua subinde dote locandis conclave opidum claudit, pene eamdem Ecclesiam, quod Pirri ævo non extabat, & dynastarum munificentiæ, civiumque pietati adscribitur. Extra mœnia ad occidentem Capuccinorum asceterium anno MDLIII. coaluit, ubi Minorum Conventualium ædes fuere, & aliquando vetus

tus civitas, uti dixi, extabat, de qua inferius. In feudo Morganę ex laudato sępius Pirro Theutonicorum S. Marię de Alemannia sacrę Mansioni Panormitanę suffraganea domus subrigebatur; hodie post Calatajeronis portam, transmisso per pontem fluento, titulo Deiparæ de *Manna*, uti vulgus appellat, elegantissima conspicitur Ecclesia, in qua religioso cultu ejusdem Virginis vetus tabula ab opidanis frequens invisitur, ejusque veluti pręcipuę patronę dies festus cum nundinis VIII. Septembris celebratur. S. Joannis Jerosolym. antiqua Commenda S. Blasii extra muros ędiculam subjectam habet. Filiales denique, seu minores cum extra, tum intra XVI. numero, recensentur Ecclesię. Ex his pręcipuę piis civium cętibus addictę, quas inter sub Sacramenti Augustissi. Eucharistię Protectione Alborum nobilium sodalitas, principi Templo adhęrens, locum tenet, Sanctorumque Joannis Baptistę, Antonii Abbatis, Nicolai, Sebastiani, Luciæ, & Catharinę illustriores habentur.

Clero jus dicit Pro Episcopo Syracusano, ad cujus spectat Diœcesim *Terranova*; Populis Magistratus, Vindex criminum, Syndicus, & Judices a Dynasta singulo quoque anno designati. Armorum Dux ad Regis nutum supremas gerit curas, civitatis, & orę maritimæ custodię invigilat. Censebantur hinc in Calatajeronensi militari pręfectura equites XIII. pedites LIX. *Terranovenses*, sed proprio nihilominus procedunt sub duce, qui & vicinos quoque cogere potest. Computatur sub Platię Comarchia *Terranova*; publicisque in ea muniis fungentes nobilitate non excidunt. Hinc qui avitis jamdudum, ingenuisque titulis fulgent, insignia, tesserasque retinent, ac equestribus idcirco mi-

litiis nomen dare possunt. Insigne est illi aquila alis expansis; pedibus binis insidens columnis. Larium census sub Carolo V. fuit 934. & animarum 4785. circa XVI, sæculi exitum. Sequenti anno LII. lares 1129. animę 4151. Anno MDCCXIII. foci 1602. incolę 5353 demum novissime 7076. numerati: Agro utitur satis amplo, & fęcundissimo; patet enim in circuitu pass. M. XL. & ultra; tantaque frugum cujusque generis copia abundat, uti ad ejus oram celebre Emporium onerariis navibus aperiatur. Amnes *Dirillum*; quem Achatem alibi veteribus appellatum cum Cluverio dixi; *Manumuzam*, seu Vagedrusam, & *Marogliumi* alio vocabulo juxta nonnullos, demumque Gelam, vulgò *Disutterim* eumdem affluenter irrigare, derivatisque per canales aquis, ejus affundi terris, quum satis constet, haud mirum, quod cęteris in Sicilia pręstet, & Virgilio poetę fuerit olim memoratus: *Apparet Camerina procul, campique Geloi*. De his porro fluminibus, quę ad ortum *Terręnovæ* agrum alluunt, jam dixi. Nec circa septentrionales regiones aquarum rivuli perennes, & uberrimi desiderantur; pontes hinc tres civium commodo subriguntur ab opido haud procul. *Naufrius* denique, Buterę aliter fluvius, per occiduas decurrit oras. Castellum quoque, & vulgi voce *Castellucium* in colle sedet ad eamdem plagam, de quo actum; & in tumulo ad ortum machinę erant olim ventorum vi agitatę, ad triticum molendum. Inter Gelam; & Vagedrusam amnes Ecclesia S. Marię de Bethlehem Terranę Monasterio addicta videtur, cujus meminit Pirrus. Hinc Lacus, duo circiter patens pass. millia per gyrum, qui & piscosus, & sale circa margines abundat.

Prę

Prę cęteris ſpectatu digniſſima vetera ſunt monumenta; ad ccc. circiter paſſus poſt orientalem portam: erecta ſcilicet columna cum epiſtylio, cujus tamen ſubſtructiones, & aliarum ingentia ſubter fundamenta humo obruuntur, nec non ingentis templi, veteris formę, ex quadratis, & admirandis lapidibus potior pars. Quumque ad aream majoris Eccleſiæ ejuſdem formę fragmentum alterius columnę extet, illas opidani Herculis columnas appellant; quod eas ibidem Herculem fixiſſe falſa perſuaſione, Heracleam ędificando, reputent. Aliorum quoque ędificiorum veſtigia circa eamdem oram perſeverant, veteris Gelę, quam immanem dixere, rudera. Ad occiduam regionem veteris opidi reliquię occurrunt, quod Fazelli ętate deſertum licet, adhuc durabat. Hinc geminam *Terramnovam* ille cognoſcit, & Friderico Cęſari adſcribit. Ego novam mœnibus cinctam Cęſaris opus merito dixi; alterius vero longe ante originem recognoſco, quamvis de nomine nihil firmare auſim. Parochiam S. Michaelis memorari in Tabulariis accepi, quę ad veterem pertinebat. Ampliſſimus ager colonifrequens eſſe oportuit; nulli enim alteri ex vicinis opidis ante Fridericum addictus legitur; apertum igitur quum eſſet opidum, & barbarorum incurſionibus obnoxium, Rex ille incolarum ſecuritati proſpiciens, muris, & propugnaculis excitatis *Terrannovam* appellavit. Invadere nihilominus Afri auſi ſunt, & diripere, inſtaurata proinde dicitur a Fazello. *Annis*, ſcribit ille, *ab hinc prope ducentis a Sarracenis, captum, & dirutum id opidum legimus; quo nomine etiam exinde a Siciliæ Regibus ad meam uſque ætatem, vacationem militiæ, & publicorum munerum habuit.*

Mar-

Marchionatus, cetero olim titulo *Terranovæ* nobilitabatur, duces hodie habet, qui in publico Regni Consilio loco secundo subscribunt. Quum enim Fridericus hujus nominis III. Messanam ad se revocare, quæ ab hostibus tenebatur, constituisset, Manfredus Claramontanus opera, & pecuniis illum levavit, *Terranovam* idcirco ad ea usque tempora Regii *demanii* opidum, uti diploma loquitur, mercedis loco a liberalissimo Principe Manfredus accepit, ea tamen conditione, uti receptis Melitæ, & Gauli insulis, quarum dominio fraudabatur, nostro mox opido cederet. Nec diu idem Rex MCCCLXVI. Salinas ad *Terranovæ* ditionem spectantes, eidem *Manfredo* attribuit. Hunc excepit *Andreas* filius, qui Regi Martino infestus, infeliciter periit; hinc *Terranova* revocata aliquando eidem principi immediate subjecta perduravit; Mox *Ludovico de Rajadillo* Castri custodia demandatur, cui & proventus etiam opidi assignati, usquedum, Calatabuturum, aut illius loco opidum aliud assequeretur. Aloysio, ejusque uxore Euphemia absque prole vita excedentibus, *Joanna* Aloysii ex sorore neptis obtinuit, cui & *Arnaldo Villademani* ejus conjugi Alphonsus Rex anno MCCCCXXV. factam a Martino elargitionem confirmavit. Arnaldus *Beatrici de Funlo*, sive, uti Ego lego, de *Jaulo*, sua, & uxoris jura vendidit, quæ ex Gabriele de Jaulo olim secunda filiam habuit *Berlingerio de Cruillas* sociatam, unde *Beatrix* junior ortum habuit. Nupsit hæc *Joanni de Aragonia* dynastæ Abulæ, cujus alibi successores fuse descripsi. Ex his *Joannes* II. Caroli V. Cæsaris privilegio Terrænovæ Marchio est appellatus anno MDXXX; sed & ejus filius *Carolus Tagliavia Aragona* ex Philippi II. rescripto

ejus-

ejusdem seculi anno LXI. Magnus Siciliæ Amiratus, aliisque muniis clarus, Ducis titulum sibi conquisivit. Fulget hodie *Terranova* dux *Fabricius Pignatelli Aragona* Montis Leonis, Castelli veteris, Nojæ, aliarumque ditionum potens.

Illustres Viri Sanctorus Juratus Ordinis Carmelitarum morum innocentia, & virtutum splendore notissimus; obiit Lycodiæ anno MDXC. de quo Pirrus. Gregorius Cantoneri patriæ Archipresbyter vitæ sanctimonia, & animarum zelo claruit, cujus adhuc vivit apud suos memoria. Antonius Juratus genere nobilis, Jurisprudentia aliisque gravioribus scientiis ornatus, M. R. C. Judex, hinc Fisci Patronus, Regię Messanensis *Junctæ* supremus Minister, tandemque apud Hispanias Italiæ Regens. Intemeratæ Justitiæ speculum dicitur a Mongitore. Matriti obiit MDCLXXXIII. Vivit Joseph Juratus causarum Patronus singularis, qui M. R. C. subsellium nostra hac ętate occupavit, aliisque muniis cum laude fungitur. Inter Scriptores celebrat idem Mongitorius Petrum Donsellam literis gravioribus imbutum, & poeticis studiis, Siculis pręsertim apprime addictum, & Cherubinũ Bellum Ordinis Minorum magni nominis Theologum, & Pontificii juris callentissimum, musis etiam gratum, uti plura, quæ edidit, testantur. Petrus Fortis Soc. Jesu scripsit absolutissimum tractatum *de Judice Regularium Conservatore*, & alia opuscula typis vulgavit; Paratumque habebat opus de variis ad easdem facultates spectantibus. De Heraclea Tom. 2. agendum, de Gela jam dixi.

THERSONES. Prope agrum Longarinum in Syracusana ditione memorantur ab Aretio, a mari haud procul. *Hodie*, subdit, *Thiresæ ruinæ*.

TYM-

THYMBRIS, memoratus Theocrito Idylio 1 illis verbis ex Andreæ Divi interpretatione: *Vale Arethusa. Et fluvii, qui funditis pulchram in Thymbridem aquam,* vel ex alio interprete apud Cluverium *Vale Arethusa*

Et vos fluvii, qui juxta pulchram Thymbridis undam fluitis. Ex Italica demum Antonii Salvini versione, quem Latinam reddo: *Vale Arethusa.*

Et vos valete fluvii, qui in Thymbridis pulchram aquam, fluitis. Quæ sane ultima legitima creditur; laudantur enim a pulchritudine *Thymbridis* aquæ, quibus fluvii affunduntur, Servius quamdam invexit fabulam: *Quodam tempore Syracusani victores ceperunt Syracusis Atheniensium ingentem hostium multitudinem, & ex cesis montibus fecerunt addere munimenta civitati. Tunc auctis muris, etiam fossa intrinsecus facta est, quæ flumine admisso repleta munitiorem redderet civitatem. Hanc igitur fossam per hostium pęnam, & injuriam factam, Tybrim vocarunt. Postea profecti Siculi in Italiam eātenuerunt partem, ubi nunc Roma est, usque ad Rutulos, & Ardeam, & Albulam fluvium ad imaginem fossæ Siracusanæ Thymbrim vocarunt.* Neque enim Syracusani victores captivorum Atheniensium opera usi sunt ad urbem muniendam, aut fossam excavandam; Nec Tybris Romanus fluvius inde sumpsit, mutavitque vocabulum; nam Siculi longe ante agrum Romanum coluerunt, quam Athenienses Syracusis obsidentes, ſede inde devicti sunt. Nec Siculi in agrum Romanum migrarunt, sed ex agro Romano progressi in insulam trajecere, quam Siciliam denominarunt. Putida idcirco grammatici commenta Cluverius Servii conjecturas merito appellat. Haud dubium vero unum, idemque judicare Theocritum, &

 Ser-

Servium *Thymbridem* seu *Tybrim*. Bonannus Thymbridem esse Crimitis montem dicit, ad cujus radices caput egerunt aquæ copiosissimę, quibus olim Syracusani per occultos ductus derivatis ad vitæ commoda utebantur. Mirabella Servio adhæret, Thymbridemque fossam ingentem tulisse fluvium nugatur, & situm designat sub Epipolis, ubi hodie Belvedere: *Hodie*, inquiens, *fossæ hujus manifesta vestigia spectantur sub Belvedere loco, quem appellant Cavetta, seu Belfrontis, miræ profunditatis*. Cluverius lib. 1. post rejectam Servii opinionem, in Theocritum scholia expendens scribit: juxta nonnullos *Timbribem* fluvium esse Sicilię, *ad quem fabulantur pervenisse Herculem, quum boves ex Erithya ageret*. Alios vero, nescio, qua lingua, *Thimbrim* intelligere *Mare*. Asclepiades hinc Myrleanus, qui lit. D. exprimit: *Dimbris*, interpretatur etiam *Mare*. Hisce Scholiis recitatis subdit: *Asclepiades iste Myrleanus ante natum Jesum Pompeii Magni ætate vixit, teste Suida. Jam antiquis igitur illis temporibus dubium, atque controversum fuit quid nam Thymbridis voce Theocritus intellexisset; plerisque mare interpretantibus*. Nicosia in Msta Syracusarum Histor. nuper exarata Portum Magnum *Thymbridem* appellatum a Theocrito hoc in loco adstruit; nec abnuit Cæsar Cajetanus, in ejusdem urbis descriptione, quam alibi laudavi, quæque prope diem lucem aspiciet.

TRABIPRIMUM Casale prope *Albaram* in agro Platiensi. Illud tenuit Gabet Miche Bucherit Sarracenus, & Monasterio S. Marię Vallis Josaphat in Jerusalem Henricus Policastri Comes attribuit. Vulgus

 hodie

hodie *Tribilinum* appellat, cujus rudera passim in Albare feudo prope *Barramfrancam* spectantur. Ejusdem meminit Pirrus.

TRIMILIA Ager. Vide *S. Petrus de Trimilia*.

TRINACIA Vetus Siculorum Urbs. Fazellus an ibi steterit, ubi ingentis vetusti Opidi ruinę in Calatalsaro monte prope Menas videntur, sub lubitat. Verum *Ericæ* rudera in Calatalsaro cum Cluverio jam supra locavi, a qua fluvius ejusdem nominis, Leontinum, & Catanensem agrum abluens, dicitur, & S. Pauli hodie appellatur. Quod in confiniis hisce fuerit, multa nihilominus suadent; ejus enim suspectam potentiam Syracusani habentes funditus post diuturnam, duramque obsidionem, delevêrunt. Diodoro teste: *Valde enim,* ait Historicus, *Trinaciorum opes suspectas habebant, veriti, ne quando Siculorum gentis cognatæ imperium ad se transferrent. Hæc quippe urbs multos, & magnæ virtutis viros semper habuit, atque principatum inter urbes Siculas obtinuit; Viris enim ad gerenda imperia idoneis, & celsis ob fortitudinem spiritus habentibus plena erat. Itaque cunctas e Syracusis, ac sociis urbibus copias contrahunt, easque adversus Trinacios educunt. At hi externo sociorum præsidio destituti, ingens certamen commiserunt, & animose fortiterque sese periculis objectantes, heroice dimicantes universi oppetiêre. Major enim pars seniorum, quod captivitatis ignominiam subire nollent, ultra se vita abdicarunt. Syracusani ergo tam illustrem de his, qui invicti hactenus fuerant, victoriam adepti, incolis in servitutem redactis, urbem solo æquarunt: ex manubriis vero pretiosissimis, quæquę ad grates Deo persolvendas, Delphos transmisêre.* Subdit Cluverius apud Stephani

phani Epitomatorem esse Siciliæ opidum *Tyracina*, quod, an idem sit cum illo Diodori Trinacia, suspicatur. Plinius inter populi Romani stipendiarios Tiracienses enumerat populos. *Hi, si iidem fuere*, subdit, *quos Diodorus in præscripta historia innuit, certe opidum eorum post dictam eversionem instauratum fuit*. Non inficior Aretium & cum eo Philotheum, aliosque *Trinaciam*, ubi Randatium hodie opidum nobile, locasse, quum enim *Trinacia* Sicularum urbium caput Diodoro dicatur; Siculi autem orientales primum oras occuparunt, Randatiumque sub Ætna in orientalibus Siciliæ partibus situm, facile illorum metropolis haberi posset. Nec desunt denique, qui ad Ieracim Trinaciam constituunt. Verum enimvero Ducetii meminisse oportet Siculorum Regis, qui aut Menis, aut Neti ortum habuit; quod sane evincit Siculas præcipuas urbes hisce in locis fuisse olim locatas.

TROGILORUM PORTUS apud Syracusas sub Tychæ muris, ubi hodie *Stintinas* portus, sive statio, ad ortivam oram: Ejus est in Livio mentio: *Damasippus quidam Lacedæmonius missus ab Syracusis ad Philippum Regem, captus ab Romanis navibus fuerat. Hujus utique redimendi & Epicidi cura erat ingens, nec abnuit Marcellus. Ad colloquium de redemptione ejus missis medius maxime, atque opportunus locus ad portum Trogilorum propter turrim, quam vocant Galeagram, est visus*. Mirabella male *portam* legit.

TROGILUS Vicus, ad portum ejusdem nominis. Stephanus *Trogilus locus in Sicilia gentilitium est Trogilii*. Thucydides lib. 6. *Athenienſium pars lapides, atque materias comportantes in Trogilum, quem vocant, semper deponebant, qua brevissime futura erat muri*

Digitized by Google

constructio. Et lib. 7. *Ex altera vero & quidem maximi ambitus parte versus Trogilum ad alterum mare jam comportati jacebant lapides*. Et hic quoque sub Tychę muris, qua Acradinę Thyca jungebatur; respondebatque idcirco Acradinę septentrioni.

TROTILUM Vetus opidum olio Pantagię fluminis appositum. De illius origine Thucydides lib. 6. *Per idem vero tempus*, quo Chalcidenses Catanam, Leontinosque colonia auxerunt *Lamis e Megaris coloniam ducens in Siciliam appulit, & supra flumen Pantagiam opidum quoddam Trotilum condidit. At id posterum relinquens in Leontinos cum suis abiit*. Cluverius nescit ad utram Pantagiæ ripam fuerit positum; At enim ipsius ruinis inędificatam Brucæ arcem passim tradunt, quæ ad amnis dexteram sedet. Circa eamdem plagam rudera, & antiquissimi diruti opidi monumenta spectantur; nec longe in valle nuper balnei pavimentum elegantissimum detectum, & in clivo supra eamdem vallem arcis substructiones videntur, ad *Trotilum* spectantis.

TURRIS ACUTA. Vide *Pizzuta*.

TURRIS NOVA. Ita appellatur in Melillis agro aliqua sui tantum parte extans moles, ad cujus portam scutum cum *Alagonę* Gentis insignibus, de qua Albanus alibi laudatus.

TYCHA inter Syracusarum urbes magnitudine secunda, sed origine tertia, ab ortu Acradinam, a meridie Neapolim, Epipolas ab occasu, apertosque subjectos campos ab aquilone habebat. Mare pene tota cingebatur ex Cluverio; qua enim Epipolas respiciebat, antequam has Dionysius muniisset, mœnia habebat, quæ postmodum diruta. Ubi Acradinæ conjunge-


jungebatur, muri erant turribus, & portis distincti per intervalla. Hos perdurasse adhuc Marcello urbem obsidente tradit idem Cluverius; Bonannus vero disjectos credit, longe ante quam a septentrionibus, & meridie vallata *Tycha* fuit, & urbis pars pręcipua evasit, quæ nonnisi suburbium dicebatur forte sub Gelone. Ejus a porta Tragilorum initium erat juxta Cluverium, & Bonannum, sed Mirabella contraxit, & ad eundem portum Acradinæ muros extendit. *Tycha* cętero nomen a Fortunę templo celebri invenit. *Tertia est urbs*, ait Cicero in Ver. lib. 4. *quæ, quod in ea parte Fortunæ fanum fuit, Tycha nominatur. In qua Gymnasium amplissimum est, & complures ædes sacræ.* Præter Gymnasium porro, cujus ignoratur situs, magnificentissimus in vivo lapide excisus Aquęductus Tychæ finibus claudebatur, ejusque adhuc extantes videntur reliquię. Portas denique *Agraggianas* Tycham habuisse Aretius tradit, quas juxta sepulchrorum copia. Illorum meminit Tullius in Tusculanis lib. 5. qui inter Sepulchra illud diu quęsitum Archimedis invenit, quod ab insculpto Cylindro, & Sphęra recognovit.

TYRACA. Vide *Syraca Palus*.

TYELLA. Vetus Castellum Hyblę, cujus meminit Stephanus. Consule *Hybla*.



Digitized by Google



ALGUARNERA. Opidum, alio nomine *Caropipis*, in Ecclesiastica Comarchia Catanensi, & Civili Calataxibettæ, sub qua in ęquo solo situm, ampla recta via distinguitur. Erat olim Casale, Luca Barberio teste, juris *Lamberti de Caropipi*, unde nomen accepit, cujus filia *Constantia*, Ludovico de Pampalone conjugi dotis nomine illud detulit. His a Rege Martino deficientibus, datum est *Petro Moroni*, a quo *Mucchius de Afermo emit*; Mucchius *Thomæ de Crispo*, Crispus *Vitali*, & *Simoni Valguarneræ* Assori Comitibus vendidit anno MCCCXCVIII. Horum hęres *Joannes* Caroli Cæsaris decreto rursus homines congregandi facultatem impetravit circa XVI. sęculi medium; hinc *Franciscus Valguarnera*, ut Principatus titulo donaretur, anno MDCXXVI. obtinuit, atque ab insigni familia denominandum curavit. Habes hujus successores, ubi de *Assoro* scripsi. Auctum ab initio fuit ex Pirro laribus 100. incolis 350. qui anno MDCLII. censebantur 394. Verum MDCCXIII. foci 592. animæ 1715. numeratę, ac novissime, 3079. Parochiale templum S. Christophoro Mar. dicatum, qui & Patronus, pene in centro assurgit; Minores aliæ Ecclesiæ IV. opidanis ad sacra convenientibus patent. Ad occasum excipit viam, de qua dixi, dynastæ Castellum vetus, sed novis magnificentissimis, triplici concameratione ędificiis instauratum in tumulo, qui ab eadem plaga præruptis, & nudis cautibus, ad profundam usque vallem horridus, inaccessæ molis speciem refert. Ab altera ejusdem vię regione passibus circiter D. in orientem amplum

plum, & ſplendidum Cœnobium loco amęno leviter declivi ſedens reſpondet; ubi Eremitę olim, hodie ſub S. Philippi Nerii legibus Presbyteri vivunt, quorum Eccleſia ſatis elegans Conceptionis Deiparę titulo gloriatur; hortorum ſepta latiſſime patentia, pomifera, fęcunda, irrigua ad delicias uſque luxuriant. Ager cętero opido circumpoſitus feraciſſimus, fontibus ſcatens, ac paſcuis lętus, Baccho denique non ingratus, colonis laborum fructus abunde ſuppeditat.

VIA ELORINA. Vide *Elorina Via*.

VICTORIA Opidum recens, copioſum, & dives ad auſtrales Siciliç plagas in Motycenſi Comitatu, ſub Joannis Alphonſi Henriquetii auſpiciis, circa XVII Sæculi initia conſtructū, a Victoria Columna Alphonſi Comitis matre appellatum in ampla ſedet planitie, rectiſque, ac latis deſcribitur viis. Laxior area principem ſacram ędem excipit unicam parochialem, quæ S. Joanni Baptiſtę, civium ſingulari Patrono addicta, ędificiis nobilis, & magnitudine ſpectanda ſe offert. Huic minores alię VIII. ſubduntur non inelegantes, & Cęnobitarum inſuper, ac Monialium accedunt ſatis conſpicuę ſuis cum peryſtiliis. Minoritani enim Obſervantes jam ab anno MDCXII primi omnium extra Opidum, ſubinde S. Marię de Gratia titulo, intra ſuum conſtituerunt decens domicilium. Paulenſes ſubinde in occidentem, anno MDCXLVI locum habuerunt. Tandemque Minores Cappuccini circa ejuſdem ſęculi finem ad auſtrum extra, amęniſſimam nacti regionem, nobile, ſed inſtituto reſpondens cęnobium ſtatuerunt, omni ex parte abſolutum ob pulcherrimum inſtratum iter civibus frequens. Sub S. Tereſię inſtitutis parthenon incly ti Deiparę Sponſi nomine clarus, nobili fulget Eccle-

ſia

titulum prçfert. In çquo sedet campo & regulari schemate, rectis nempe viis ad ortum, & meridiem, oppositasque regiones vergentibus dividitur. Constat laribus 200, incolis 545. Vita decedens Consalvus anno MDCCXXVIII. qui pluries in M. R. C. jus dixit, *Josephum Paternionem* Sororis filium hæredem reliquit, ea lege, uti gentis Asmundæ, sive Sismundæ, quæ suos inter authores celebrem illum Adamum, Alphonso Rege, Siciliæ Prçsidem jactat, cognomen, & arma assumeret; cui quidem conditioni hic adhçrens, *Joseph Asmundo Paternò* deinceps est appellatus, emensisque omnibus in foro gradibus, Regii Ærarii primum Fisci Patronus, hinc Sac. Regiç Cosciertiç, vulgo Consistorii Prçses adlectus id munus hodie intemeratæ justitiç fama gerit. Idem Marchio, Caroli Regis nostri beneficio, effulget, filiumque *Consalvum* ex Isabella Paternò uxore susceptum habet, qui Annæ Alliatç ex dynastis Solanti matrimonio adjunctus vivit etiam prole dives.

VILLA AURI. Opidum. Vide *Passarellus*.

S. VINCENTII Casale *de Sophiana* in agro Platiensi, ubi olim *Philosophiana* in Antonini Itinere memorata. Concessit Manfredus Simonis de Policastro filius Ecclesiç Syracusanæ, uti Alexandri III. Rom. Pon. diploma MCLXIX testatur.

VINDICARIS Arx, seu Turris ad parvum ejusdem nominis portum, quem insula efficit D. circiter pass. in circuitu patens, juxta Pachynum promontorum ad orientem, inter Abisi fluminis fauces, & Marsamemis stationem. Portus hic *Naustathmus* Plinii creditur, de quo jam supra verba feci, illumque memorata insula ab austrinis, & Noti ventis protegit. Jam


Turris Petro Aragonio, Alphonsi fratre, Netiquæ Domino adscribitur; ad hanc quippe urbem, ejusque territorium littus spectat. Emporium ibi quoque constructum, ad cujus custodiam Turris. Huic gentis Saloniç scutum adpictum dicunt, quod aliquando in ejusdem potestate Turris *Vindicaris* fuerit.

VIZINIS Opidum. Vide *Bidenum*.

ULYSSIS Portus. Vide *Odyssea*, & *Edissa*.



Digitized by Google




IPHONIA Urbs apud Stephanum: *Xiphonia Urbs Siciliæ authore Theopompo Philippicar. Rer. lib.* XXXVIII. *Gentilitium Xiphoniates*. Hæc nulla alia esse potest, inquit Cluverius, qui ad S. Crucis caput Xiphonium promontorium statuit, quam, quæ nunc vulgo Augusta dicitur, inter celebriores Siciliæ urbes computata: *Xiphonius* portus hinc Scylaci post Megaram locatur: *Symæthus fluvius, & urbs Megaris, portusque Xiphonius. Post Megaridem sequitur urbs Syracusæ*. Sed & *Xiphonium* Promontorium Strabo lib. 6. celebrat de littore Catanensi loquens: *Ubi*, ait, *exitus conveniunt fluminum ex Ætna defluentium. Hic enim Xiphonium est Promontorium*.

XIRIDIA Opidum, hodie *Floridia*.

XUTHIA in agro Leontino vetus regio ab Xutho Æoli filio. Diodorus lib. v. *Regnavit & Xuthus in Leontinorum agro, qui ab eo in hanc usque ætatem Xuthius dicitur*; Hinc Stephanus *Xuthia opidum Siciliæ, authore Philisto Sicularum Rer. lib.* III. Sortinum a Maurolyco creditur.



Digitized by Google



HADDEDA *S. Juliani* fluvius, de quo superius. Ibi vetus ad ejus ripas descripsi sepulcretũ. Hodie idem locus Sarracenice *Deri* appellatur. Vide *S. Juliani fluvius*.

YHADRA Arx *Chadra* cum proximo Casali, quod in Regesto de anno MCCCXX. Adinolfi Mortilleri, & Nicolai de Lamia juris dicitur. Valle intermedia a Francofonte passibus aliquot distabat; hinc in Censu sub Martino MCCCCVIII. habito denominatum Casale *Thadra de Franchesontis* legimus ad Joannem de Cruillas spectans,

YHALICIS, fluentum in Catanensi planitie. Vide *Galicis*.

YHANNICATTINA Vallis Fazello memorata, hodie *Candicattinum* opidulum. Consule suo loco.

YHANSARIA. Aliter *Cansaria, S. Michael. Vide.*

YHARRUBBA fluentum. Consule *Caruba*.

YHASIBILIS. *Cassibilis* Arx, & fluvius, antiquis *Cacyparis*, de quibus actum.

YHIBINIS Turris. Fazellus lib. 10. dec. 1. *Pachynus promontorium, Et ad pass. 11. M. Thibinis Saracenici nominis arx*. Vide *Ghibinis*.

YHOMISUM Opidum frequens, & dives, Comitatus titulo clarum, vulgo *Comisum*, Motycensis olim Dynastiæ pars, & circa australes idcirco insulæ plagas in ęquo pene solo situm, humiles in meridiem colles habet veluti imminentes, & hinc Ragusam, & Claromontem ad ortum. Nomen illi hodiernum Sarraceni, originem veteres Syracusani dedere; passim quippe *Casmenam*, Syracusanorum Olympiade XXXII. colo-

coloniam, eodem sedisse loco tradunt, quod innumeris momumentis, ruderibusque evincunt; cum intra, tum extra in horto Comitis, ad Perreras, in regione Belvedere, circa Castellum, aliisque proximis agris; ubi etiam sepulchra occurrunt. Indicia sane clarissima, dudum ibi mortales incoluisse, opidumque vetus solum occupasse. Quumque non longe a Camarina, altera eorumdem Syracusanorum Colonia, *Casmena* steterit, quo *Gamori*, ingenui nempe illius urbis cives, a *Cylliriis*, plebeis scilicet, ejecti sese receperunt; *Thomisumque* Camarinę ruinis haud procul hodie assurgat, conjecturis agendo, *Casmenę* subrogatum illud affirmant. Cluverius in Antonini Itinere Calvisianam pass. M. VIII. ultra Gelam positam advertens, id esse censuit opidum, *quod nunc ad Hipparis, seu Camarinensis amnis fauces vulgari vocabulo dicitur Comiso.* Calvisiana aliunde plaga locus certe maritimus fuit, & in eodem memoratur Itinere, quod littora describit. Aretius de Situ Siciliæ: *Casmenę*, ait, *Comisum vocamus, ubi fons uberrimus*. Fazellus denique, sed nulla producta ratione, uti Cluverius advertit: *Huic* Claromonti scilicet, *sinistrorsum, Thomisum Sarracenici nominis opidum ad p. M. 8. subest, Dianæ fonte apud veteres celebrato insigne. Qui Casmenas hoc opidum fuisse arbitrantur, toto, quod ajunt, cælo & quidem sereno, errant.* Alibi vero ait: *Adeo hæc urbs Syracusarũ potentia crevit, ut quatuor subinde in Sicilia urbes Syracusani condiderint: Acras, Casmenas, Camarinam, & Ennam, e quibus Acræ quidem nivosis in montibus; Casmenæ vero in planitie*. Nec locum indicat Casmenæ; Acras licet ad Palatiolum statuat. Casmenam cętero ad Siclis agrum alii locant, quod suis locis adverti. An-

Antiquis itaque subſtructionibus, quas memoravi, impoſitum *Thomiſum* prono ad aquilonem ſolo, circa eamdem cœli regionem portam habet, unde ad pręcipuas inſulę urbes opidanis eſt iter, S. Blaſii nomen referentem cum ejuſdem pulcherrimo marmoreo ſimulacro. Huic veteris caſtelli ędificia coherent, quibus ſuperſtructum Comitis hodie Palatium. Hinc ejuſdem S. Blaſii magnifica Eccleſia; eſt enim Divus Opidi pręcipuus tutelaris, quę tribus diſtincta partibus, ſtructilibus columnis ornata, ac tholo inſuper fulget. Nec inde procul Majus eminet Templum, titulo S. Marię de Stella inſignitum. Ejus ſtructura elegans & ampla; tholus, nec non cultus interior picturis, auro, & opere plaſtico conſpicuus; ſacra ſupellex dives, ac nitida. Parochiali jure unica gaudet; Collegio inſtruitur Eccleſiaſtico, in quo Canonici ab anno decurrentis Sęculi XLI. aluntur; congruas enim illis prębendas Baltaſſar Comes deſignavit. Oleo ſacro ex more Aſdrubal Termine Syracuſanus Pontifex inunxit, ac dedicavit. Frons denique eximia, inferiores exhibens tantum partes, in dies promovetur. Succedit ad lęvam Fons Dianæ, de quo ſatis alibi verba fecimus, & Fazellus fuſe ſcripſit. Aquis porro vita abundat, ut earum pars fiſtulis ęneis ad civium commoda, pars in aptum conceptaculum lineis purgandis pannis uberrime effluat. Venale forum non longe abeſt, quod civium privatę ędes convenienter excultę ambiunt. Ad dexteram vero S. Joſeph nomine clarum, ſacrarum Virginum hodie conclave aſſurgit cum decenti Eccleſia. S. Tereſię regulam illæ profitentur, cum cenſu anguſto ſed vita, ac moribus præſtantes, cœleſtibus divitiis abundat. Refertur fundatio in annum MDCXIX opera

Pe-

Petri de Palatio, qui pauperibus puellis excipiendis addixit. Ejusdem instituti alterum sanctimonialium cœnobium, Deiparæ *Reginæ Cœli* vocabulo, dives quidem, sed pietatis studiis haud minus insigne, in occasum quoque vergens ab anno MDCXIX. eodem Petro fundatore originem recognoscit. Utriusque conclavis ambitus late patens hortos habet, in quibus veterum balneorum reliquiæ. In levi tumulo centrum opidi occupat S. Mariæ Annunciatæ antiquissima, insignis Ecclesia, in qua ab anno MDCXLV. alumni XII. Canonici, cum Archidiacono sacris officiis intendunt; aræ minores XX. proprio sacerdote instruuntur; Sodales pene octingenti sub S. Rosarii titulo conveniunt. Veterem quidem formam ędificia pręseferunt, & princeps porta annum MDXCI. exhibet; interni nihilominus parietes cultu decoro fulgent; medius fastigii apex undique in oculos incurrit; frons, ac turris ornatu eximio nitent. Illam Matthęus Trigona Episcopus sollemni ritu dedicavit; pii fideles censibus auxerunt, ac sacra supellectile ditarunt. Jam inter hanc ædem, ac descripta Monialium claustra S. Philippi Nerii Oratorium sedet cum decenti magnifica Ecclesia, conspicuisque pro alumnis domiciliis, quod sęculi XVII. anno XVIII. laudatus Petrus de Palatio ęre suo statuit, & Urbanus VIII. Rom. Pon. subinde confirmavit, ac privilegiis auxit. Ad ortum B. Marię Collegium ad sequioris sexus educationem aperitur, Thomæ Blundi opera, juxta S. Joseph Ecclesiam. Ad occasum circa opidi fines Minoritarum de Observantia S. Antonii Patavini titulo Monasterium; cujus ęs campanum MCCCCLXXIV. conflatum sęculum XV. fundationis auspicia illi dedisse designat. Ibi aliquando Conventuales incoluisse Cagliola testa-

Regiis vero libris anno ejusdem lar. 1222. incol. 4371. Sed nostra ætate MDCCXIII. lar. 2226. incol. 7402. novissime 9145. Longitudo est gradus XXXVIII. XV. latitudo XXXVI. L. Illustres denique municipes celebrantur Petrus de Palatio Oratorii S. Philippi author, & utriusque Monialium Cœnobii promotor, illius quoad vixit, Præpositus, virtutibus Ecclesiastico viro dignis ornatissimus, sacrisque scientiis imbutus. Obiit circa elapsi sæculi XXX. annum: Mansuetus Cocuzza ordinis Capuccinorum, ante professionem Franciscus appellatus, humilitate, obedientia, ciborum parsimonia, simplicitate, singulari in Deiparam cultu, orandique assiduitate nostro hoc ævo clarissimus, variis idcirco a Deo donis affectus; migravit piissime e vita MDCCXLVI.

Primus *Thomisi* Dominus *Berlingherius de Lubera* in Regiis Tabulariis elucet sub sæculi XIII. exitum, & sequentis initia; ab eo enim, pretio exoluto, *Joannes de Claromonte* obtinuit, qui in Friderici II. censu memoratur. At quum eidem Regi infensus evasisset, bonis excidit, ac *Petrus Regius* idcirco Casali donatus est. Ex Petro *Nicolaus*, unde alter *Petrus*, cujus filia, & hæres *Anfilisia* Nicolao Bonfilio cum *Thomisi* dote nupsit. Ex his *Petrus*, qui sub Martino vixisse dicitur. Verum in ejusdem principis Regesto anno MCCCCVIII. *Bernardus de Capera* cum Motyca *Thomisum* tenebat. Bernardo *Joannes Bernardus* successit, qui sub Alphonso anno MCCCCLIII. *Periconio Naselli* Mastre dynastæ acceptis auri unciis CCC.. *Terram*, & *Fortalitium*, seu *Turrim Comisi* vendidit. Periconium filius ejusdem nominis, atque *Periconettus* idcirco appellatus, excepit anno MCCCCLXIX; Ex quo *Baltasar*; duxit hic in uxorē Isabellam Montapertā cum dote *Diesis* feu-

di juxta Agrigentum. *Gaspar Nasellus* his procreatus cum *Joanna de Porto* uxore *Baltassarem* genuit hujus nominis II; Fulsit sub Joanne de Vega Armorum dux ad bellum, & Vallis Mazarę tuitioni destinatus muneri egregie fecit satis. Jam *Baltassar* Antoniam Galletti ex Fluminis Salsi dominis sibi copulavit, & *Gasparem* filium minoris ętatis reliquit, qui duodennis cum Beatrice Aragona nuptias contraxit, annoque MDLXXI. Philippi II. Regis beneficio *Thomisi* Comes renunciatus, mox in Diesis feudo opidi ędificandi facultatem impetravit, eique Aragonæ nomen indidit. Beatrix a morte Gasparis, qui bimulum *Baltasarem* filium reliquit, secundas cum Jacobo Saccano Casalisnovi, & S. Petri dynastæ iniit nuptias, unde Antonia Saccano prodiit. Hęc *Baltassari* data est uxor, quæ patris hęres Casalisnovi domina evasit. Ex eo conjugio natus est *Aloysius* primus Aragonę Princeps, cujus alibi merita expendam. Genuit hic Eleonoræ Gariglio maritus effectus *Baltassarem*, qui Velleris Aurei Eques, Proregis vices, Gallorum exardescente bello, cum gloria gessit. Idem supremus Pręfectus Fabrum, & exercitus Instructor fuit, tandemque Sacerdotio initiatus circa hujus sęculi initia e vivis excessit, relicto ex Celidonia Florita, & Tagliavia olim uxore *Aloysio* filio, ex quo & Margarita Branciforti *Baltassar* hujus nominis V, aliique sunt nati. Mortua Margarita Aloysius sacrę militię nomen dedit, amplissimasque dynastias Primogenito reliquit. Hic variis, primisque adhibitus reipublicę muniis, pręclarissime se commendavit. Panormi enim Prętor, XII. Regni vir, Sicilię legatus ad Regem, S. Januarii Eques, Major domus Regiæ Neapoli, a Consiliis status, Supremi Sicilię Tribunalis

bunalis ibidem Præses excelluit. Mortuus est Parisiis MDCCLIII. ejusque exuvię *Thomisum* delatę in majori Ecclesia conduntur. Habuit cum Laurea Morso Reginę honoris filia *Aloysium* v. hęredem, Hispanię Magnatem, Regis a cubiculo, Proregis Custodum Centurionē, cui Stephana Morso Podii Regalis Princeps est hodie sacris conjugii vinculis adjuncta.

Thomiso nuper transmissum Græce inscripti antiqui lapidis exemplar accepi, quod a quopiam Gnosticorum, sive Basilidinorum erroribus imbuto, fortasse a Marco Ephesino de Basilidis stirpe, exaratum, nedum ex occultis ad calcem characteribus, aliisque sparsim per epigrapham dispicitur, sed quod circa secundi versus finem clarissime nomen ΑΒΡΑΞΙΑ expressum habet, quod passim in Amuletis, ac Talismanis eorumdem hęreticorum legitur. Gnostici seculo III. Ecclesiam vexarunt; lapidem idcirco per ea ferme tempora sculptum dixerim, opidumque nostrum circa hanc ętatem celebre satis effloruisse, evincit.



Digitized by Google



EPHYRIUM Promontorium illud nonnullis creditur ex Strabone, quod post Tapsum peninsulam Megaræ sinum claudit, ad veterem Trogilorum portum, & Acradinam, ac S. Bonasia vulgo appellatur. Circa illud enim Archiam Dorienses obvios habuisse credunt. Sedenim rectius alii Zephyrium Calabriæ promontorium dicunt. Strabonis enim verba hæc sunt: *Cætero Archiam, quum in Siciliam navigaret, & ad Zephyrium promontorium appulisset, incidissetque in Doriensium quosdam, qui e Sicilia eo se contulerant, digressi ab his; qui Megara condiderant, adjunxisse sibi eos, indeque profectum communi cum eis opera Syracusas condidisse.* Si Dorienses e Sicilia ad *Zephyrium* se contulerant, *Zephyrius* igitur Insulæ promontorium nequit obtrudi.

ZILICÆ OCULUS fons. Vide *Cilica*.

ZOTICA Opidum olim, & Arx. Consule *Jadica*.

FINIS II. PARTIS TOMI PRIMI.





C. 3823

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

